



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Tract. VI. De legibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77355)



TRACTATUS SEXTUS.

DE LEGIBVS.

Ad quaestionem 90. D. Thomæ, usque ad 109.

PRÆFATIO.



NOLVI (AMICE LECTOR) ut in nostræ Theologiæ, velut integro corpore, hanc de legibus partem desiderares, quam ego sæpius in plurimis Theologis desideravi, quos prope exleges dixerim, quoddam hanc de legibus tractationem prætermiserint; quibus utilius nihil ad humane vitæ officia instituenda, aut necessarium magis esse potest; quæ, ut Tullius voluit, instar nervorum & sanguinis per membra effusi, Rempublicam servant; imò & quibus universa hac rerum omnium series regitur & constat. Neque enim singulis solum hominibus, aut rebus publicis impositas esse leges existimandum est; cum ipsa rerum, elementorum, cælorumque compages, quam universum & mundum dicimus, ita positis servatisque legibus constet, ut verissimè dici possit, quod de rebus publicis Aristoteles scripsit, earum salutem in legibus constitutam esse. Cum Deus prima mundi fundamenta jaceret, & immensam hanc corporum molem, velut extensam lineam, ut loquitur Scriptura, metiretur, legimus positam legem aquis ne transirent fines suos: nec aliud mensura, numerus, pondusque rerum significant, quam æternam illam legem, quæ omnia in ordinem cogit, res ad suos fines dirigit, ac rebus modum imponit. Quid enim putes iratum turbatumque mare demulcere, ut quidam dixit, retardare, aut frangere, dum immensis aquarum voluminibus, quas procellæ, tempestatesque sonore excitant & impellunt, naufragium terra minatur? Hac impressam littori scriptamque lege coercetur, eamque legem veritum, ut è Patribus quidam dixit, mare primum in littore, curvatisque fluctibus, termini positorem adorat. Sed quid de cælorum motibus, varietate temporum, immutabili ordine recurrentium dicam? Utinam tam obtemperaret homo legi sibi insita, quam res inanimæ & solius Dei imperij capaces, positæ sibi legibus parent. Nec verò ita suo arbitrio hominem relictum esse censendum est, ut nullis eum natura doceat legibus, honesta, virtuti & rationi consentanea prosequi, & præva devitare. Habet homo innatam nec ignotam sibi legem, inquit Lib. de diligendo Deo. Bernardus, quæ faciendæ & prosequendæ demonstrat, & quæ his contraria prohibet. Hanc legem Tullius summâ eloquentiâ explicuit, & ut Lactantio referenti visum est, penè divinâ voce depinxit. Est quidem (inquit Tullius) vera lex, recta ratio, naturæ congrua, diffusa per omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando à fraude deterreat. Huic legi nec prorogari fas est; neque derogari aliquid licet; nec totâ abrogari potest. Nec verò per senatum, aut per populum solvi hac lege possumus: nec est quaerendus explanator aut interpret alius. Non erit alia lex Romæ, alia Athenis, & alia nunc, alia posthac: Sed & omnes gentes, & omni tempore, una lex & sempiterna & immutabilis continebit: unusque erit communis quasi magister & imperator omnium Deus; ille legis hujus inventor, disceptator, & lator. Hæc sane egregia legis naturæ, impressæ mortalium omnium animis, explicatio & commendatio. Verum præter eam naturæ legem vel inditam homini rationis incapaci, vel impressam creaturis, omnis sensûs & rationis expertibus; alias inter homines à sapientibus promulgari leges necesse fuit, ad socie-

9. Rhe-
tor.

Job. 28.

Prov. 8.

Lib. de
diligendo
Deo.
Lib. 6.
instit.

P R Æ F A T I O.

ratem hominum tuendam, ad instituendum regimen, ad suum cuique jus servandum, & improborum hominum petulantiam coercendam. Nam quod probos attingit, justo non est lex posita, & ut Aristoteles inquit, politus & liberalis homo, ita animo affectus est, ut sibi lex esse velit. Etenim nihil sepius de his naturali lege statuitur, qua in variis casibus, negotiis, causisque accidunt, de quibus sententia ferenda est: nec præterea omnium hominum arbitriis permittendum fuerat, ut de his rebus statuerent, & iudicium ferrent, cum soleant variis affectibus duci, à quibus in eadem re, non eadem sepius iudicia proficiscerentur. Recte enim T. Livius dixit, hominem esse à quo impetres, ubi jus ubi injuria; esse gratiæ locum, esse beneficio; & irasci & ignoscere posse, inter amicum & inimicum discrimen esse. Igitur constituende leges erant, firmæ, immutabiles, quibus in causa pari, eadem vel supplicia vel præmia decernerentur. Vnde legem dixit idem historiarum scriptor, rem furdam, & inexorabilem esse, salubriorem, melioremque inopi, quàm potenti, nihil laxamenti ac veniæ habere, si modum excesseris. Sed quid de divinis legibus statuendum? An non præter eas leges quibus homines ad civilem duntaxat vitam ducendam instituuntur, qua in re potiores habent & duces Philosophos: aliæ constitutæ sunt leges quibus docerentur ea quæ ad divinum cultum pertinent, & ad æternam beatitudinem promoverentur? Sane non omnia legibus constarent & regerentur, nisi Religio suas leges haberet, quibus & veri numinis cultum doceret, & illasam sanctitatem tueretur. Quare duplicem hominibus legem Deus olim promulgavit, suæque Religionis partem præcipuam fecit. Alterâ veterem, quæ penè oblivione deletam naturalem, in memoriam hominum, usumque revocaret; alteram gratiæ, quæ imperfectam veterem persciceret, & vacuam impleret: alteram, quâ Judæi, ut servi timore; alteram quâ Christiani, in libertatem filiorum vindicati, amore regerentur. Egregiè enim Augustinus dixit, facili discrimine utramque legem distingui, timore & amore. Enim verò quod perennitatis argumentum à Judæis existimatum est legem in lapidibus scriptam, ut apud Romanos aræis tabulis ad perpetuitatem leges incidebantur; verius inflexum legis veteris rigorem demonstrabat. Vix enim alia durior, rigidiorque lex esse potuit, quàm quæ tot ceremoniis eos quibus lata fuerat, baptismatibus, cæterisque, ut vocat Apostolus, legis justitiis onerabat, ut importabile jugum dici potuerit; & quæ tot victimarum sanguine sancita est, ut pene dixerim, quod de Draconis cujusdam legibus Aristoteles dixit, scriptam sanguine videri potuisse. Sed ejusmodi lex esse debuerat imposita servis, qui nisi verberibus meliores non sunt. Verùm facilior legi veteri sanctiorque lex nova, filius non imposita, sed data successit; quæ scripta in cordibus tota gratiâ & amore constat, amore regit, amore servatur, & cum ultima sit, omnium absolutissima cui nihil desit, præter cæteras, quatuor dotes habet, quæ in humanis legibus ac veteri desiderabantur, quas summâ eloquentiâ Vates explicat, ut D. Thomas advertit. Immaculata est, quod nihil prævium aut jubeat aut permittat. Convertès animas, quod nedum externos hominum motus, sed internos etiam, intimosque animi sensus regat. Testimonium fidele, quod nulli errori obnoxia sit. Sapientiam præstans parvulis, quod ad æternam beatitudinem hominem vocet & promoveat. Hæc legum omnium officia & dotes: unde manifestum sit, rerum omnium, naturæ, hominum, rerum publicarum, ac Religionis salutem, in legibus constitutam esse. Non putabam (AMICE LECTOR) me tam multa de legibus præfationis loco dicturum; sed duntaxat volueram parumper in limine consistere, ne te magis impellere, quàm ducere in hanc tractationem viderer. Sed nihil eorum prætermittere potui, ut probarem quod ex Philosopho à me propositum initio fuerat, rerum omnium salutem, in legibus sitam esse, legibus totius universi ordines constare. Sed hoc saltem commodum reportabo, ut totius tractationis synopsis & partitionem delineaverim. Disputationibus enim quas institui, tractationem omnem absolutam; & naturam, munera, dotes legum, hoc ordine, in communi, æternæ, naturalis, humane, divine, veteris, & novæ explicabo.

Lib. 8.
Ethic.
cap. 8.

Lib. 2.

1. 2. q. 92.
91. art.

DISPUTATIO PRIMA.

De Lege in communi.

Ad quæst. 90. D. Thomæ, & duas sequentes.



CV M juxta Apostolum ad Roman. 6. peccati cognitio per legem habeatur, ipsumque peccatum legis transgressio sit, ad perfectiorem Tractatûs de peccatis intelligentiam, tractationem de legibus subjungimus. Et quia recta doctrinæ methodus exigit, ut ab universalibus ad particularia descendamus, primò agemus de lege in communi, deinde varias ejus species exponemus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Virum lex essentialiter pertineat ad intellectum, vel ad voluntatem?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

NOtandum primò, hoc nomen *lex* dici, vel à legendo, eò quòd homo in ipsa legit quod illi agendum vel omittendum est, aut quia leges olim scripto tradebantur, ut ab omnibus legerentur, ut Isidorus ait lib. 2. Etymol. cap. 10. Vel ab eligendo, ut Cicero lib. 1. de legibus cenfer, quia ipsa lex est regula eligendorum. Vel juxta D. Thomam hic art. 1. Cassiodorum, & Damasceni commentatorem, lib. 4. fidei cap. 23. à ligando, quia per eam ligantur subditi ad ipsius observantiam, ut ait S. Doctor. Vel ut loquitur Cassiodorus apud prædictum Damasceni commentatorem, eò quòd animos nostros liget, suisque teneat obnoxios constituit. Et hæc etymologia fundamentum habet in Scriptura, in qua leges sæpius ab hoc effectu ligandi, vincula appellantur: Psal. 2. *Dirumpamus vincula eorum.* Jeremia 2. *A seculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti: Non seruiam.*

2. Notandum secundò ex Sylvestro, verbo *Lex* num. 1. hæc nomina *lex*, *ius*, *statutum*, aut *constitutio*, idem significare. Dicitur enim *ius*, quatenus ostendit unicuique tribuendum esse quod suum est. Dicitur *statutum*, quia stabile & firmum debet esse ad omnes. Dicitur *constitutio*, quatenus plurium consilium & consensus debet præcedere & concurrere ad stabiliendam legem. Denique dicitur *lex*, quatenus per eam ligantur subditi ad ipsius observantiam.

3. Notandum tertio, nonnulla esse, quæ non nisi improprie leges appellantur, cujusmodi est naturalis inclinatio & impulsio appetitûs sensitivi ad malum, quæ ad Roman. 7. vocatur *lex peccati*; & naturalis aquarum necessitas à Deo imposita ne transeant fines suos, Proverb. 8. *Quando appendebat fundamenta terræ, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos*; id est quando ponebat causas, quibus intra certos terminos aquæ conti-

Anerentur. Demum lex accipitur lato modo pro norma seu regula quarumcumque actionum tam intellectûs quam voluntatis, ut cum dicimus *leges Dialecticæ & Grammaticæ*. De lege sic latè & improprie accepta, non agimus in presenti, sed illam in propria & stricta acceptione, prout est regula & mensura actuum humanorum, consideramus.

Demum existentiam seu necessitatem legum, ut certam & manifestam supponimus; eam enim insinuat ipsa natura creaturæ intellectualis, quæ cum non possit esse sibi regula moralium operationum, necessariò eget aliquo superiore, à quo certà lege & normâ in suis operationibus dirigatur, ne à fine ad quem creata est aberret. Cum enim ipsa natura defectibilis sit, & à fine honestatis ad quem inclinat, deflectere possit, necessaria ei est aliqua lex, quæ illam per certam normam ad suum finem dirigat. Quæ ratio non solum demonstrat necessitatem legis naturalis ad finem naturalem consequendum, sed multò magis necessitatem legis supernaturalis ad finem supernaturalem obtinendum; nam cum hic sit altior, & humanæ menti naturaliter ignotus, homo non potest ad illum pertinere, nisi & altiori lege dirigatur, & auxiliis supernaturalibus adjuvetur. Eadem ratio probat, in omni statu legem necessariam fuisse creaturæ intellectuali, cum in omni statu maneat subiecta Deo, & dirigibilis in ordine ad aliquos saltem actus, quibus finem suum naturalem vel supernaturalem consequatur.

Potest etiam legû necessitas ac utilitas ipsâ experientia comprobari, cum constet nullam Rempubicam absque legibus stare posse; alioquin adulteria, furta, homicidia, & quælibet alia scelera, quæ statim Rempubicam funditus evertunt, impunè grassarentur, juxta illud vulgatum Augustini: *Remota justitiâ (quæ per leges potissimum statuitur) quid sunt regnâ, nisi magna latrocinia?* Cui etiam consonat illud Isidori lib. 5. Etymologiarum vel Originum cap. 20. *Facta sunt leges, ut humano metu humana coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrænentur nocendi facultas.* Quare meritò ait Aristoteles 3. Rhetoricorum, Rempublicæ salutem in legibus constitutam esse.

Huc revocari possunt quædam legis encomia, quibus ejus necessitas & utilitas optimè declaratur. Nam lege 1. ff. de legibus sic dicitur: *Lex est commune præceptum, virorum prudentium consultum, delictorum correctio, communis Rempublicæ sponso.* Dicitur etiam *lex mens & consilium æquitatis, virtutum adhoratrix, vitiorum expultrix, justitiæ lumen ac columen, mentis lucerna, & regula actionum humanarum.* Demum ut ait Augustinus lib. de spiritu & littera: *Lex data est, ut gratia acquireretur; gratia data est, ut lex adimpleretur.*

His suppositis, quantum ad nomen, & necessitatem, atque existentiam legis, ut ipsius quidditatem & essentiam declarem, inquirimus, an lex essentialiter ad intellectum vel ad voluntatem pertineat, & cujus ex illis potentis actus existat? In cujus difficultatis resolutione tres reperio Theologorum sententias. Alij enim censent, legem ad voluntatem pertinere, alij ad intellectum, alij ad utramque potentiam. Primum docent Alphonsus à Castro lib. 1. de lege penali cap. 1. Joannes Medina Codice de Oratione quaest. 2. & Suarez lib. 1. de legibus cap. 5. num. 24. ubi legem in Principe existentem ait esse actum ipsius voluntatis iustæ & rectæ, quo vult inferiorem obligare ad hoc vel illud faciendum. Secundum asserit ad D. Thoma hic art. 1. & ab omnibus ejus Discipulis, quos sequuntur Vazquez, Valentia, Azorius, & alij. Tertiam denique sententiam, in utroque actu intellectus & voluntatis essentiam legis constituentem, tuentur Gerson Alphabeto 2. de potestate Ecclesiæ, considerat. 13. quæ est de origine juris & legum, Gregorius Ariminensis in 1. dist. ultimâ quaest. unicâ, & Beccanus in Tractatu de legibus cap. 1.

§. II.

Sententia D. Thoma præfertur.

Dico igitur, lex, quantum ad suam substantiam, consistit in actu intellectus, sed præsuppositivè, & de connotato, importat actum voluntatis.

6. Prima pars est D. Thomæ hic art. 1. ubi illam probat primò, in argumento *sed contra*, ex eo quod ad legem pertinet præcipere & imperare: Sed hoc essentialiter pertinet ad intellectum, ut ostenderit supra quaest. 17. art. 1. ubi sic ait: *Imperare est essentialiter actus rationis, imperans enim ordinat eum cui imperat ad aliquid agendum, inimando, vel denuntiando: Sic autem ordinare per modum cujusdam intimationis est rationis.*

Disp. II. art. 1.

Deinde in corpore articuli sic discurret: Lex nihil est aliud, quam regula quædam & mensura humanorum actuum, secundum quam inducitur quis ad agendum, vel ab agendo retrahitur: Sed regulare & mensurare actus humanos, ad rationem pertinet: Ergo lex quantum ad suam substantiam est aliquid rationis. Minor patet, Majorem verò sic ostendit. In unoquoque genere id quod est principium, est mensura & regula illius generis; nam unitas quæ est principium numeri, est mensura omnium numerorum; & motus primi cæli, qui est primus in genere motuum, est mensura omnium motuum corporum inferiorum: Sed ratio est primum principium actuum humanorum: Ergo regulare & mensurare actus humanos, ad rationem pertinet.

7. Potest insuper suaderi conclusio hæc ratione: Essentiale est legi obligare subditum sibi ad agendum vel omittendum aliquid; unde, ut supra ex D. Thoma, & Cassiodoro dicebamus, lex à ligando dicitur: Sed sola voluntas superioris non obligat subditum, quantumcumque cognoscat illum, donec ipsi intimetur: Ergo ratio legis non in actu voluntatis, sed in præcepto aut intimatione intellectus consistit. Major constat, Minor etiam est certa, etsi enim aliquis sciat voluntatem Principis sui esse ut faciat aliquid, non tenetur facere, quousque sibi intimetur. Item Reli-

Tom. III.

Agiosus non tenetur facere voluntatem sui superioris ante intimationem. Contra verò, si aliquid præcipiat superior, etiam si non habeat voluntatem ut ponatur in executione, tenetur subditus exequi; sicut Abraham, instante præcepto Dei, tenebatur filium Isaac sacrificare, licet Deus non haberet voluntatem efficacem, ut sacrificaretur.

His addi possunt plura Scripturæ loca, quibus lex nomine lucis significatur: Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui.* Psalm. 18. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos:* Proverb. 6. *Mandatum lucerna est, & lex lux.* Item Chaldaicè lex dicitur *Vrajesa*, à verbo *Vr*, quod est illuminare, quasi ejus munus sit lucere, splendescere, & illuminare: Sed lumen ac illuminatio ad intellectum pertinet, cum illuminatio in spiritualibus, nihil aliud sit, quam veritatis manifestatio, juxta illud ad Ephes. 5. *Omne quod manifestatur lumen est:* Ergo lex, quantum ad suam substantiam ad intellectum pertinet. Unde Augustinus lib. 1. de libero arbit. cap. 6 legem definit, *rationem summam, cui semper obtemperandum est.* Et Cicero lib. 1. de legibus, legem naturalem sic describit: *Lex (inquit) est ratio summa insita in natura, quæ jubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria.*

G Quod verò lex præsuppositivè & de connotato importet actum voluntatis, ut secunda pars conclusionis asserit, manifestum est: Tum quia proprium est legis movere subditos ad aliquid agendum: Solus autem intellectus abique voluntate non potest movere. Tum etiam, quia lex non pertinet ad intellectum speculativum, sed ad practicum, & consistit, ut ostendimus articulo sequenti, in actu imperij: Sed actus imperij, licet elicitive, & quantum ad substantiâ, sit ab intellectu, supponit tamen & connotat actum voluntatis, à quo efficaciam & vim movendi participat, ut docet D. Thomas supra qu. 17. art. 1. Ergo licet lex quantum ad suam substantiam ad intellectum pertineat, præsupponit tamen actum voluntatis, illumque de connotato importat. Unde si nihil aliud velint Gregorius, & Beccanus, alijque Authores, qui legem ad intellectum & voluntatem pertinere existimant, à veritate non aberrant; si verò intendant, legem substantialiter & ex æquo ad voluntatem & intellectum spectare, falsum asserunt, cum repugnet unum simplicem actum esse elicitive & quoad substantiam à duabus potentis.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt in primis Adversarii aliqua Scripturæ testimonia, in quibus lex Dei appellatur voluntas Dei: Psalm. 39. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus voluit, & legem tuam in medio cordis mei.* Psalm. 102. *Notas fecit vias suas Moysi, filijs Israël voluntates suas, id est leges & præcepta sua.* Et 2. Machab. 1. *Det vobis cor omnibus ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem, id est legem ejus servetis.*

Leges quoque civiles dicuntur esse placita Principum, Institur. de jure naturali, gent. & civili §. *Constat*, ibidemque §. *Sed & quod dicitur: Quod Principi placuit, legis habet vigorem.* Et Augustinus lib. 4. de civit. Dei cap. 6. *Arbitria (inquit) Principum pro legibus erant.* Demum Aristoteles in Rhetorica ad Alexandrum, cap. 1.

Sic iij

2. affirmat legem esse communem civitatis consensum. Et Cicero lib. 1. de legibus docet legem ab electione dictam esse. Ergo lex non pertinet ad rationem, sed ad voluntatem.

20. Verum ad hæc facile respondetur cum Magistro Soto lib. 1. de justitia quæst. 1. art. 1. illa testimonia non convincere legem esse actum voluntatis elicitive, & quantum ad substantiam, sed solum illum præsupponere, & connotare; subindeque illa probare quidem secundam partem nostræ conclusionis, sed non impugnare primam. Lex ergo Dei in Scriptura Sacra, voluntas ejus appellatur, vel quia voluntatem Dei supponit, vel quia est signum illius, nam inter signa voluntatis divinæ, quæ recenset D. Thomas 1. part. quæst. 19. art. 12. unum est lex seu præceptum. Interdum verò leges divinæ in Scriptura Dei judicia appellantur Psalm. 147. *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis;* quia consistunt formaliter in actu intellectus intimante & denuntiante Dei voluntatem. Idem dicendum ad alia testimonia, lex enim electio, vel arbitrium Principis appellatur, quia arbitrium & electionem Principis sequitur, cum scilicet præcipitur quod Princeps elegit & decrevit.

21. Obijciunt secundo: Munus legis est movere subditos ad rectè operandum, seu ad eliciendam operationem ipsi conformem: Sed movere ad exercitium operationis in ordine ad aliquem finem, spectat ad voluntatem, ut docet D. Thomas supra quæst. 9. art. 1. idque convincit ipsius ratio, nempe quia objectum voluntatis est finis, qui est primum principium in agendis: Ergo lex ad voluntatem pertinet.

22. Respondeo, munus legis esse movere subditos ad rectè operandum, non quomodocumque, sed intimando, & loquendo, quod est proprium intellectus, non autem voluntatis, cui solum convenit movere per modum impellentis, & quantum ad exercitium actus.

23. Obijciunt tertio: Ferre legem est actus justitiæ legalis, cum lex ordinetur ad bonum commune, quod à justitia legali respicitur: Sed justitia legalis est virtus in voluntate residens: Ergo lex pertinet ad voluntatem.

24. Respondeo negando Majorem, nam condere legem non est actus justitiæ legalis, sed prudentiæ politicæ aut regalis; unde divina Sapientia Proverb. 8. ita de se loquitur: *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Prudentia tamen politica vel regalis, quæ leges habet condere, actum justitiæ legalis bonum commune intendens præsupponit. Unde lex essentialiter & formaliter ad intellectum pertinet, licet connotet ordinem ad voluntatem, ejusque actum præsupponat, ut in secunda parte conclusionis declaravimus.

25. Obijciunt quarto: Lex nihil aliud est, quàm regula quædam & mensura humanorum actuum, ut supra dicebamus: Sed regulare humanos actus, pertinet ad voluntatem, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 107. ubi asserit voluntatem divinam esse primam regulam, quæ actiones humanæ regulari debent, voluntatem verò Prælatorum esse secundam regulam participatam à prima: Ergo lex pertinet ad voluntatem.

26. Respondeo quod voluntas divina est prima regula humanorum actuum, ut dirigitur à ratione divina, & non aliàs, ac proinde ratio primæ regulæ humanorum actuum competit per se primò rationi divinæ, & participativè rationi creatæ;

A unde etiam voluntas Prælatorum non dicitur secunda regula actuum humanorum, participata à prima, nisi prout dirigitur à ratione creata; & sic intelligendus est D. Thomas loco citato, cum docet voluntatem divinam esse primam regulam actuum humanorum, & voluntatem Prælatorum secundam regulam, participatam à prima.

Obijciunt quintò Authores tertiæ sententiæ, existimantes legem ad intellectum & voluntatem ex æquo pertinere, D. Augustinum, qui lib. 22. contra Faustum, cap. 27. legem æternam definiens ait, esse aut rationem, aut voluntatem divinam.

B Verum hoc frivolum est, nam S. Doctor dicens, legem æternam esse intellectum aut voluntatem Dei, non intendit illam ex æquo pertinere ad utramque potentiam, sed ad unam vel aliam, disjunctivè, volens consultò ab his opinionibus abstinere, quia nihil ad suum propositum conducebant. Loco verò supra citato libri primi de libero arbitrio, determinans ex professo hanc quæstionem, quam in libris contra Faustum indecisam reliquerat, legem definit, rationem summam, cui semper obtemperandum est, subindeque eam ad solum intellectum quoad substantiam pertinere, manifestè declarat.

§. IV.

Corollarium notatu dignum.

EX dictis colligitur contra Lorcam, & quosdam alios Recentiores, legem non consistere essentialiter in actu judicii practici intellectus, sed in actu imperij, seu potius in aliquo per ipsum constituto.

Pro intelligentia hujus corollarij breviter explicandus est ordo actuum intellectus & voluntatis, qui ad legis constitutionem intervenit. Unde sciendum est, quod legislator cognoscens bonum commune, quod maxime in pace & tranquillitate Reipublicæ consistit, intendit hoc bonum, & ex ejus intentione statim sequitur consultatio de medijs quibus illud assequatur, quæ consultatio est actus intellectus practici, qui dicitur eubulia, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 51. art. 1. & 2. Deinde sequitur judicium intellectus practici, quod est terminus consilij, & nihil est aliud quàm sententia intellectus approbantis hoc medium præ illo, pro quo actu dirigendo ponitur alia virtus in intellectu, adjuncta prudentiæ, quæ dicitur synesis, ut tradit idem S. Doctor ibidem art. 3. Postea sequitur electio voluntatis, quæ elegit medium quod judicatur convenientius in ordine ad affectionem finis, pro qua elicienda ponuntur virtutes morales in voluntate, & in appetitu sensitivo. Denique sequitur alius actus intellectus, qui dicitur imperium practicum, quo per modum ordinationis & intimationis intellectualis, Princeps efficaciter præcipit subditis id quod convenientius judicavit & elegit ad bonum Reipublicæ consequendum: pro quo actu ponitur prudentia, ut constat ex D. Thoma 2. 2. quæst. 47. præcipue art. 8. Dicimus ergo legem non consistere in actu illo judicii practici intellectus, qui antecedit electionem. Ratio est, quia ut supra dicebamus ad legem pertinet præcipere: Sed judicium de aliquo faciendum salvatur sine præcepto: Ergo lex non pertinet essentialiter ad actum judicii qui antecedit electionem, sed ad actum imperij qui electionem subsequitur.

Confirmatur: De ratione legis est obligare subditum ad aliquid agendum, ut patet ex supra dictis: Sed in iudicio intellectus practici non includitur hæc obligatio, nam optime stat Principem iudicare esse conveniens ut subditus aliquid operetur, taleque iudicium innotescere subdito, & tamen ex vi illius non obligari, dum non accedit intimatio quæ ei præcipitur ut illud operetur: Ergo lex non consistit essentialiter in actu iudicij practici, antecedente electionem, sed in actu imperij ad illam subsecuto, quo Princeps ordinat subditum ad aliquid agendum, intimando, vel denuntiando.

20. Dixi autem, vel potius in aliquo per ipsum constituitur, quia licet lex constitutur per ipsum actum imperij, in eo tamen non consistit formaliter, sed in aliquo ab imperio formaliter distincto, & ab ipso originato, nimirum in quodam dictamine aut verbo practico ipsius actus imperij, ut docet Conradus hic art. 1. dicens: *Lex est aliquid rationis sicut dictamen eius, ab ipsa & in ipsa existens subjective tanquam terminus actus intelligendi practici, scilicet imperij.* Et infra circa solutionem secundi: *Lex (inquit) pertinet ad actum rationis practica, tanquam eius dictamen & verbum practicum.*

21. Idetiam colligitur ex D. Thoma hic art. 1. ad 2. ubi ait quod sicut in operationibus externis est distinguere operationem & operatum per ipsam, sicut ædificatum ab ædificatione distinguitur; ita in actibus intellectus tam practici quam speculativi distinguuntur actus & terminus productus per illam, ut in intellectu speculativo terminus primæ operationis est definitio, secundæ verò est enuntiatio, & tertiæ argumentatio: in practico autem sunt propositiones & dictamina practica, quæ fiunt per actiones practicas intellectuales, de quorum numero est lex, quæ est quoddam constitutum per actum rationis, nimirum quoddam dictamen practicum, seu verbum dictatum per actum imperij.

22. Ratio etiam idtuadet: Lex enim habet se ad intellectum & eius actum, sicut idea se habet ad intellectum artificis & artem, utraque enim est mensura, regula, & exemplar; illa quidem morum, ista verò rerum per artem faciendarum: Sed idea est terminus mediæ arte in intellectu productus: Ergo & lex erit terminus medio imperio productus, & verbum practicum illius.

23. Confirmatur: Lex est in intellectu Principis non tantum subjective, sed etiam objective, tanquam cognitum in cognoscente, Princeps enim dum legem profert, ad eam attendit, & ipsam cognoscit: Ergo non est actus intellectus practici, sed potius ipsum verbum practicum, & terminus conceptionis practica, & imperij, quo Princeps subditos ordinat ad aliquid faciendum.

ARTICVLVS II.

Utrum de ratione legis sit, quod ad commune bonum ordinetur, quod sit perpetua, & quod pro communitate feratur?

§. I.

Triplici conclusione hæc triplex difficultas resolvitur.

24. **D**ico primò: De ratione legis est, quod sit propter bonum commune. Ita docuit Pla-

A to lib. 1. de legibus, ubi ait, *leges condendas esse publica pacis gratia*, & Cicero, qui similiter lib. 1. de legibus dicit *constituendas esse leges publica salutis causa*. Idem docet Isidorus lib. 5. Etymologiarum, ubi ait quod *lex est nullo privato commoda, sed pro communi utilitate civium conscripta*, juxta illud duodecim Tabularum, *Salus populi, suprema lex esto*. Item S. Basilius homil. 12. in principium Proverbiorum, non longè ab initio, dixit leges debere esse ad consequendam in communi bono utilitatem, & non ad privata commoda respicientes. Ibidemque addit, in hoc tyrannum à Rege differre, quod ille sua ipsius quomodocumque & undecumque respicit, ac tuetur; hic subditis consulere tantum querit. Et

B Aristoteles 8. Ethic. cap. 10. initio: *Tyrannus (inquit) suam, Rex subditorum utilitatem spectat*. Demum omnes Theologi & Juristæ in eo conveniunt, de ratione & substantia legis esse, ut pro bono communi feratur. Unde lex naturalis tendit de se ad bonum commune totius naturæ humanæ; leges divinæ positivæ, tendunt omnes ad Dei gloriam, & communem hominum utilitatem, juxta illud Isaia 51. *Lex à me exiit, & iudicium meum in lucem populorum requiescet*. Leges quoque humanæ, tam civiles, quam Ecclesiasticæ, referuntur reiprà & omnino referri debent ad bonum commune, & ad illud esse utiles; alioquin feruntur invalidè, & verè leges non sunt; nam potestas ferendi leges non est data hominibus, sive à Deo, sive à Republica, nisi propter bonum commune.

C Eandem veritatem demonstrat S. Thomas hic art. 2. duplici ratione. Prima sic breviter ac perspicue à Conrado proponitur: *Lex est in intellectu practico circa illa quæ sunt ad finem: Ergo debet reduci & regulari per prima principia intellectus practici: Sed primum principium in practico est ultimus finis & beatitudo: Ergo lex omnis regulari debet & reduci ad ultimum finem seu beatitudinem, quæ est commune bonum; Unde lex naturalis ordinatur ad beatitudinem naturalem, quæ est bonum commune sibi proportionatum; lex verò supernaturalis, ad beatitudinem supernaturalem; civilis autem ordinat cives in beatitudinem politicam civitatis aut regni, quæ est bonum sibi proportionatum, maximeque in tranquillitate & pace Republicæ consistit.*

Dices contra hanc rationem: *Lex essentialiter pertinet ad intellectum, ut articulo præcedenti ostendimus: Ergo non respicit bonum commune ut ultimum finem. Consequentia videtur manifesta, ultimus enim finis non respicitur nisi à voluntate, cum sit ejus objectum.*

E Respondeo, concessio Antecedente, distinguendo Consequens: *Non respicit ultimum finem, sub ratione boni, concedo, sicut enim pertinet ad voluntatem. Sub ratione veri, dirigendo scilicet & imperando in ordine ad illud, nego consequentiam, hoc enim proprium est intellectus.*

Secunda ratio D. Thomæ est: *Lex ordinat hominem ad debitum finem illius: Sed debitus finis hominis est felicitas seu bonum commune: Ergo lex essentialiter respicit bonum commune. Major constat ex ratione præcedenti, Minor sic probatur à D. Thoma. Quælibet pars ex natura sua ordinatur ad totum, sicut imperfectum ad perfectum: Sed homo est pars totius communitatis perfectæ: Ergo per se ordinatur ad totam communitatem: At hæc tota communitas per se or-*

dinatur ad suam felicitatem & commune bonum, cum respiciat illud ut propriam perfectionem sibi proportionatam, & finem sibi proprium: Ergo de primo ad ultimum, homo ordinatur ad bonum commune, illudque ex propria natura respicit.

28. Demum suaderi potest conclusio hoc discursu: Potestas legislativa, quæ est in Principe, respicit essentialiter bonum commune: Ergo & lex. Consequentia patet, nam actus cujuscumque potentia non potest exire à ratione formali potentiaæ cuius est actus. Antecedens probatur: Omnis potestas condendi leges, quæ est in Principibus, vel est à Deo, vel à populo: Si à Deo, constat omnem conferri propter bonum commune, cum Deus tale bonum præcipue intendat. Si à populo, idem patet, nam sicut illum conferunt omnes, ita eo fine & animo conferunt, ut ad publicum ipsorum bonum exerceatur, non verò ut ad privatum ipsius Principis commodum referatur. Unde in Concilio Toletano 8. cap. 10. præcipitur, *ut qui eligetur in Regem, juret non prospicere proprii jura commodi, sed providere patriæ, gentique suæ.*

Confirmatur: Inter causam efficientem seu moventem, & finalem, debet esse proportio: Atqui leges non conduntur nisi ab iis qui præsentunt multitudini, qui que sunt superiores quolibet particulari homine, in ea multitudine contento: Ergo in bonum commune totius multitudinis dirigi debent.

Dico secundò, de ratione legis est, esse stabilem & permanentem, ac durare & obligare quoad usque revocetur, subindeque esse aliquo modo perpetuam.

29. Colligitur ex cap. ultimo *de officio legati*, ubi dicitur statutum legati habere vim legis & perpetuò durare. Unde Doctores communiter hoc discrimen ponunt inter præceptum ab homine datum, per modum præcepti personalis, & latum per modum legis seu constitutionis, quòd purum præceptum expirat per mortem præcipientis l. *Mandatum*, Cod. *Mandati*, non verò lex, seu statutum, quia lex non moritur, ut notant Abbas & alij in caput *Irrefragabili*, §. *Ceterum*, de officio Ordinarij.

30. Patet etiam hæc veritas inductione, nam lex æterna, cum in mente divina existat, perpetua est & immutabilis. Similiter lex naturalis, quæ participatio est æternæ, perpetuò durat. Lex etiam divina, tam vetus, perpetua fuit, constanter omnes obligando usque ad adventum Christi; quàm nova, quæ duratura est usque in finem mundi: Ergo etiam leges humanæ, quæ imitari debent, quoad fieri potest, naturalem & æternam, ex quibus deducuntur, debent esse permanentes & stabiles, ut sint convenientes humanæ gubernationi communitatis, quæ postulat stabilitatem & uniformitatem. Unde leges dicuntur esse quasi fundamenta Reipublicæ, quibus nixa hæret, & veluti vincula & funiculi, quibus constricta, firma, ac fixa in capto bono perseverat. Hinc Cicero orat, pro Cluentio, leges, nervos ac sanguinem Reipublicæ appellat, aitque quod sicut corpus nostra sine sanguine & nervis subsistere nequeunt, ita nec Respublica sine legibus.

31. Porro triplici respectu lex perpetua dicitur: Primò respectu ferentis, quia durat, illo licet amoto, vel mortuo; non enim expirat lex per mortem ejus à quo fuit lata, ut dicitur cap. ultimo *de officio legati*, supra citato; alioquin magna fieret in Republica legum humanarum mu-

tatio, non sine magno ipsius detrimento. Secundò respectu eorum quibus imponitur lex, quia non solum præsentibus obligat, sed etiam quotquot erunt in posterum partes illius communitatis. Tertio, respectu ipsius legis, quia talis est, ex intentione & modo quo fertur, ut semel lata, semper duret, donec vel abrogetur, vel ejus materia ita mutetur, ut iusta esse desinat.

Dico tertio, lex debet ferri pro tota communitate.

Patet hæc conclusio, nam in hoc differt lex à præcepto, quòd præceptum uni, lex omnibus imponitur, quatenus illud ad privatam directionem partis, hæc ad publicam gubernationem Reipublicæ ordinatur. Unde l. 1. ff. *de legibus*, sic dicitur: *Lex est commune præceptum. Et l. Jura, eodem titulo: Jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur Et l. Leges sacratissima C. eodem titulo: Leges sacratissima, quæ constringunt hominum vitas, ab omnibus intelligi debent, ut universi, præcepto earum manifestius cognito, vel inhibita declinent, vel permissa secedant.*

Ratio etiam suffragatur, Tum quia lex est principalis actus prudentiæ politicæ, vel regalis, quæ per se primò respicit bonum totius Reipublicæ, vel communitatis. Tum etiam, quia lex debet esse perpetua, ut conclusione præcedenti declaravimus: At nulla persona est perpetua pro statu præsentis, pro quo maximè leges necessariæ sunt: Ergo lex non imponitur uni privatæ personæ, sed communitati, quæ perpetua est, quatenus durat per continuam successione.

Hanc doctrinam confirmat universalis legum inductio: nam lex æterna ad omnes creaturas legis capaces se extendit; lex naturalis, quæ æternæ legis participatio quædam est, omnes ligat; lex positiva divina, tam vetus, quàm nova, pro capacitate personarum, earumque exigentia, ad omnes lata est: Ergo eadem ratio est de quavis alia lege.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò contra primam conclusionem: Multæ sunt leges, quæ privatum bonum respiciunt, ut lex naturalis de tuenda propria vita, lex elemosynæ, lex correctionis fraternæ, lex confessionis sacramentalis, quæ salutem supernaturalem penitentis respicit, & idem est de legibus aliorum Sacramentorum. Demum privilegium veram habet rationem legis, dicitur enim privata lex in cap. *Privilegium* dist. 3. & tamen respicit bonum particulare alicujus personæ, illius scilicet in cujus favorem conceditur: Ergo non est de ratione legis ad bonum commune ordinari.

32. Respondeo, concesso Antecedente, negandò Consequentiam, nam aliud est loqui de materia proxima circa quam versatur lex, aliud de motivo formali propter quod versatur circa talem materiam; cum enim lex sit regula humanorū actuum, sicut in actibus humanis illa duo distinguimus, ita in lege ea distinguere debemus. Lex ergo naturalis de tuenda propria vita, respicit bonum privatum personæ particularis, ut materiam proximam circa quam versatur, habet tamen bonum commune pro motivo, quod per se primò respicit; cum enim quilibet homo sit pars naturæ humanæ, & pars per se ordinetur ad totum, sicut imperfectum ad perfectum, fit quod bonum cujuscumque hominis in particulari per se ordinetur ad bonum

bonum totius naturæ humanæ; unde auctor & conservator totius naturæ, cujus interest respicere tale bonum, rectè præcipit, ut quilibet conserveat propriam vitam, ut conserveat bonum totius naturæ, quod non nisi in individuis potest subsistere. Idem cum proportione dicendum de aliis præceptis in objectione recensitis, nam licet præceptum elemosynæ, & correctionis fraternæ, respiciant bonum privatum particularis personæ, ut materiam proximam, tamen id totum ordinant in bonum commune, ad quod pertinet ut pauperes alantur, ne pestes aut furta grassentur in Republica, & quod vitia emendantur, quæ sunt contra bonum commune naturæ rationalis. Similiter licet leges sacramentorum, & aliæ supernaturales, ad bonum particulare ordinentur, ut ad materiam proximam, hoc tamen totum est in ordine ad bonum commune, quod per se primo respiciunt; ordinantur enim ad cultum Dei ultimi finis, & ad perducendos homines, qui illis legibus untur, ad Deum ultimum finem supernaturalem, qui est bonum commune totius naturæ humanæ, ut ad illum elevari, non quidem communitate generis aut speciei, sed communitate finis in quo omnes homines communicant, ut ait D. Thomas hic art. 2. ad 2.

37. Ad id quod subditur de privilegio, respondent aliqui, privilegium non habere rationem legis propriè dictæ, sicut nec præceptum, vel sententiã Judicis. Sed quidquid fit de hoc, de quo infra, hoc dato, consequentia neganda est. Licet enim privilegium respiciat bonum privatum alicujus personæ, ut materiam proximam, hoc tamen cedit in bonum commune, quod aliqui sint privilegiati, propter strenuè facta in obsequium Reipublicæ, ut alij accendantur ad promovendum bonum commune, per opera studiosa & ardua.

38. Objicies secundò: Leges positivæ exigentes tributa, veræ leges sunt, & tamen non respiciunt bonum commune, imò multoties illud videntur destruere, sed privatam Regis commoditatem: Ergo non est de ratione legis, quod bonum commune respiciat.

39. Respondeo, leges tributorum respicere privatam Regis commoditatem, ut materiam proximam, sed hanc ordinare ad Reipublicæ felicitatem, ut nimirum Rex per vectigalia thesaurum acquirat, quo Republica in bello defendatur, & in pace conservevetur.

40. Objicies tertio contra secundam conclusionem: Lex vetus duravit solum usque ad adventum Christi, & multæ sunt leges humanæ, quæ successu temporis mutantur: Ergo non est de ratione legis quod sit perpetua: præsertim si sermo sit de legibus humanis, quia homines legem ferentes, cum sint mortales, non possunt obligare in perpetuum.

41. Respondeo, legem veterem fuisse perpetuam pro eo statu pro quo lata fuit, nam quandiu per Evangelicam, ad quam ut ad perfectiorem disponebat, revocata non fuit, semper obligabat. Quod ut melius percipiatur, Notandum est, quod perpetuitas quæ legi adscribitur, non est positiva, scilicet quæ semel lata, nunquam mutari possit, sed negativa, ut quandiu consuetudine, vel consensu & voluntate Principis non revocatur, semper obligandi vim obtineat; hæc enim perpetuitas sufficit ad distinguendam legem à præcepto, quod non modo negativè, sed etiam positivè temporale est, durans tantum ad vitam præci-

Tom. III.

A pientis, nisi expressè confirmetur ab habente potestatem. Ex quo patet, quod leges etiam humanæ ex natura sua sunt perpetuæ, tamen successu temporis voluntate Principis revocari possunt.

Nec obstat quod homines legem ferentes sint mortales, nam leges Ecclesiasticæ feruntur auctoritate Christi, qui non moritur, & hanc potestatem contulit Ecclesiæ: Civiles verò feruntur auctoritate Reipublicæ, quæ similiter non moritur; nam illa jus suum transtulit in eos quos constituit gubernatores & legislatores.

Objicies quartò contra tertiam conclusionem: In jure Canonico distinguuntur Canones legem privatam à publica, & hanc quidem volunt imponi communitati, illam verò privatam personæ, Cod. licet, de Regularibus, & Cod. Dna sunt, 19. quæst. 2. Idemque traditur in jure Civili. Nam Institut. de jure naturali, gentium, & civili, §. sed & quod, dividuntur leges Principis, in generales, quæ omnes tenent, & personales, quæ nec ad exemplum trahuntur, quoniam non hoc Princeps vult. Nam quod alicui ob meritum indulget, vel si quam pœnam irrogavit, vel si cui sine exemplo subvenit, personam non transgreditur: Ergo de ratione legis non est, quod feratur pro tota communitate.

Respondeo Canones citatos, per legem privatam, intelligere votum ex speciali inspiratione Spiritus Sancti factum, vel ipsam inspirationem, quæ lex improprie dicitur & analogicè, eò quod scribatur in corde, & impellat, vel obliget, ut lex. Instituta verò loco citato, per legem personalem intelligunt eam, quæ fertur in favorem aut in pœnam alicujus personæ, & successorum: vel cujus executio ad illam pertinet. Sed non negant fieri communitati respectivè, id est pro illis, ut membris communitatis, & in commune bonum, saltem mediatè, quatenus, ut jam supra dixi, expedit communi bono merita aliquorum & excellentiam privilegiis donari, ut alij accendantur ad bonum Reipublicæ promovendum per opera ardua & studiosa.

§. III.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

EX dictis colligitur, hæc tria, præceptum, sententiam, & privilegium, non habere veram rationem legis. Triplex enim inter simplex præceptum & legem reperitur differentia. In primis enim licet præceptum possit imponi toti communitati, hoc tamen non exigit necessariò, sed potest imponi personæ particulari, lex verò semper communitatè personatum respicit necessariò, ut in tertia conclusione ostensum est. Secundò, præceptum expirat morte vel amotione imponentis, etiam si absolute & sine limitatione imponatur; lex autem non expirat morte legislatoris, cum ex natura sua perpetua sit, ut in secunda conclusione declaravimus. Tertio, præceptum potest imponi à quocunque superiori, lex verò ferri nequit nisi ab eo qui à Deo vel à Republica habet potestatem legislativam.

Similiter sententia differt à lege, licet aliquid de illa participet; Lex enim est ipsa ordinatio superioris, sententia verò potiùs est applicatio & executio legis circa privatam personam & eventum, quàm legis impositio. Unde D. Thomas infra quæst. 96. art. 1. ad 1. sic ait: *Dicitur etiam*

Ttt

quædam legalia, non quia sint leges, sed propter applicationem legum communium ad aliqua particularia facta, sicut sunt sententiæ, quæ pro iure habentur. Participat verò aliquid de lege, in quantum habet perpetuitatem, sicut illa, nec expirat morte aut amotione ferentis sententiam. Cujus ratio est, quia sententiæ habet vigorem in virtute legis, & sic est perpetua, sicut illa. Verum est tamen, quod ad ferendam sententiam non requiritur suprema potestas legislativa Principis, sed inferior Judex, per autoritatem derivatam ab illo, potest eam ferre, ut ex usu constat. Et ratio est, quia sicut in artificialibus disponere formam domus pertinet ad architectum, applicare tamen illam inducendo eam in aliquam singularem materiam, dolando scilicet ligna & aptando lapides, spectat ad inferiores artifices: sic in moralibus, ad Principem, qui est architectonicus regiminis, pertinet disponere formas legum ad bonum commune procurandum; applicare verò illas ad singulares casus & personas, ad particulares Judices attingere potest.

Denique lex à privilegio differt, quia lex semper respicit pluralitatem personarum, & bonum commune Reipublicæ; privilegium autem potest respicere particularem personam, & illius bonum particulare. Unde privilegium ex Isidoro lib. 7. Etymol. cap. 8. dicitur quasi privata lex, seu lex privatorum. Convenit autem cum lege in hoc quod est perpetuum, sicut illa. Quia verò exemptionem à lege, seu exceptionem legis, solum facere potest ille qui legem condere potest, hinc fit quod privilegium in concedente, supremam potestatem legislativam requirat, sicut ipsa lex in concedente.

ARTICVLVS III.

Apud quos resideat potestas legislativa?

44. Dico primò, condere legem civilem, solum pertinet ad multitudinem, vel ad eum qui curam habet multitudinis; sive sit unus, ut in imperio monarchico; sive sint multi, ut in imperio democratico. Ita D. Thomas hic art. 3. ubi rationem affert, quia lex primò & principaliter ordinatur ad bonum commune, ut art. præcedenti ostensum est. Sed ordinare aliquid in bonum commune, pertinet ad communitatem, vel ad eum qui ejus curam habet, quia sicut pars respicit bonum particulare ut finem sibi proportionatum & proprium, ita tota communitas bonum commune: Ergo condere leges civiles, solum pertinet ad multitudinem, vel ad eum qui præest multitudini & habet curam illius.

Dices, Conditor legis debet esse superior ei quem lege sua obligat: Sed Respublica non est superior sibi: Ergo non potest condere leges quæ ipsam obligent.

45. Respondeo, Rempublicam dupliciter posse considerari, uno modo quatenus gerit vices Dei, à quo omnis potestas ferendi leges descendit, juxta illud Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt*: alio modo ut est gubernabilis in ordine ad bonum commune. Primo modo considerata, est legislativa, secundo autem modo spectata, est susceptiva legis; quia primo modo est quodammodo superior ad seipsam secundo modo considerata, quod sufficit ut sit legislativa. Potestque id explicari & illustrari exemplo satisfactionis Christi Domini, nam in Chri-

sto idem est suppositum quod satisfactio, & cui exhibetur satisfactio, sed satisfactio, in quantum humanum, & fit ei satisfactio in quantum divinum, sicque est superius ad seipsum primo modo consideratum. De quo fufius in Tractatu de Incarnatione.

46. Ex his intelliges, potestatem legislativam immediate & jure naturæ residere in communitate, in Rege verò, aut quolibet alio habente potestatem condendi leges, mediatè solum & jure humano: cum enim potestas condendi leges civiles, non possit commode à tota communitate exerceri per seipsam, transferri solet ad unum, qui sit caput morale communitatis, & Princeps supremus reliquorum omnium, si monarchicum regimen instituitur, vel in paucos, & optimos, si aristocraticum: vel in plures, & plebeios, si democraticum.

47. Sed advertendum est, tale jus dupliciter transferri à Republica in alium, proxime scilicet & remotè, proxime, quia aliquando Respublica immediate eligit aliquem ad supremum regimen, remotè verò, ut quando aliquem eligit in Regem, pro se & suis successoribus; tunc enim in successores dicitur transferre remotè suam potestatem, quia non immediate eligit illos, sed mediante illorum progenitore.

48. Dices, Apostolus ad Roman. 13. ait: *Non est potestas nisi à Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*: Ergo Reges & Principes habent potestatem legislativam immediate à Deo, non verò à communitate seu Republica.

Confirmatur: Si Reges acciperent suam potestatem à regno, sequeretur regnum esse supra Regem: Sed hoc non est dicendum: Ergo nec illud.

49. Ad instantiam respondeo, verba illa Apostoli significare solum potestatem Regum & Principum esse à Deo in radice, quatenus Deus, qui est author naturæ, & omnium bonorum naturalium, dedit hominibus potestatem & jus submittendi se alteri, & constituendi sibi superiores.

Ad confirmationem nego sequelam, Reges enim supposita electione purè & simpliciter monarchicè, sunt superiores regno, licet ab ipso regiam potestatem accipiant, quia scilicet regnum ei se liberè subiecit. Quomodo, quando quis alteri se liberè subiecit, aut vendit in servum, fit illi inferior, quamvis potestas quam hero tradit, oriatur ab ipsius voluntate.

50. Dico secundo, in Ecclesia Catholica esse potestatem condendi leges, quibus omnes fideles obligentur.

Hæc conclusio est certa de fide, & definita in Concilio Constantiensi, ubi proscriptur error Wiclephi talem potestatem Ecclesiæ denegantis; constatque ex traditione Ecclesiæ, quæ à temporibus Apostolorum usque nunc, in omnibus Conciliis aliquas leges & canones statuit, ad componendos mores fidelium.

51. Ratio etiam suffragatur: Nam, ut supra dicebamus, in omni Republica bene instituta, est potestas imperandi quæ utilis sunt ad ejus conservationem, & prohibendi quæ sunt nociva: Sed Ecclesia est Respublica Christiana rectè instituta à Christo: Ergo illi non deest facultas condendi leges necessarias vel utiles ad componendos fidelium mores. Quamvis enim dederit Christus suis fidelibus legem Evangelicam, hæc tamen lex multa continet in universali, quæ debent determinari per legem Ecclesiasticam, vel quantum ad modum, vel quantum ad tempus, ut constat in præceptis de receptione sacramentorum.

Dico tertio, potestatem condendi Canones & leges Ecclesiasticas, apud Summos Pontifices, & Concilia legitime congregata residere.

32. Prima pars patet ex illo Matth. 16. *Quodcumque ligaveris super terram &c.* Ubi Christus Dominus immediatè per seipsum contulit D. Petro & ejus successoribus potestatem regendi Ecclesiam: Sed præcipuum vinculum regiminis est lex: Ergo immediatè contulit illi potestatem condendi leges. Similiter Joan. 21. Christus verbis illis *Pasce oves meas*, D. Petro & successoribus ejus contulit potestatem pastorem, quæ est potestas regendi Ecclesiam, & condendi leges ad ejus regimen necessarias. Unde hoc versatur discrimen inter Summos Pontifices & Principes sæculares, quòd isti, ut supra dicebamus, à Republica potestatem legislativam recipiunt, illi verò eam non habent ab Ecclesia, sed à Christo immediatè. Unde in cap. *Novis*, de judiciis, sic loquitur Pontifex de pontificia auctoritate: *Cum non humana constitutioni, sed divina innitatur: quia potestas nostra non ex homine, sed ex Deo est.*

33. Quod verò etiam apud Concilia legitime congregata resideat auctoritas condendi leges Ecclesiasticas, manifestum est, quia illa Concilia representant totam Ecclesiam, in qua, ut præcedenti conclusione ostendimus, est potestas condendi leges quibus fideles obligentur. Unde in Concilio Apostolorum, quod primum omnium fuit, hæc lex lata est, Act. 15. *Ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.*

34. Episcopi etiam possunt in suis Diocæsisibus quas expedite judicaverint leges condere, quæ constitutiones synodales, vel statuta Episcoporum appellantur, hocque etiam extra Synodum, ut colligitur ex cap. *Si quis de majorit.* & obed. Capitula verò Ecclesiasticum, licet aliqua decreta, quæ & actus capitulares vocantur, efficiant, statuta tamen aut leges condere nequeunt, sine consensu aut commissione Episcopi aut Papæ. De quo vide Sylvestrum verbo *Lex*, quæst. 4. Similiter Prælati Religionum habent quidem jus præcipiendi, sed non leges condendi, quod tantum penes Congregationes generales, seu Capitula generalia residet.

ARTICVLVS IV.

Utrum promulgatio sit necessaria, & essentialis legi?

S. I.

Duplici conclusione utraque difficulus resolvitur.

35. Dico primò, ut lex obliget in actu secundo, aliquis ejus promulgatio necessariò requiritur. Ita communiter Theologi cum D. Thoma hic art. 4. ubi sic discurre: Lex se habet per modum regulæ & mensuræ actuum humanorum, quam homines sequi debent, eique suas actiones conformare: Sed id præstare nequeunt, nisi eis lex innotescat, neque lex eis potest innotescere, nisi per promulgationem: Ergo ut lex obliget, aliquis ejus promulgatio necessariò requiritur.

36. Confirmatur: Lex supràte naturæ est quid dirigens & illuminans, ut constat ex dictis art. 1. At quod domi later, & est in pectore Legislatoris
Tom. III.

A reconditum, non potest dirigere & illuminare: Ergo lex nondum cognita non potest officium legis exercere, & obligare subditos in actu secundo. Unde l. *leges* Codice de legibus, sic dicitur: *Leges sacratissima, quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent.*

Confirmatur amplius, quia cum voluntas non possit ferri in incognitum, sequeretur homines obligari ad impossibile, si tenerentur legem servare ante sufficientem illius promulgationem.

Advertendum tamen est, me ex industria in conclusione dixisse, ut lex obliget in actu secundo, *aliqualem ejus promulgationem* necessariò requiri; quia promulgatio non requiritur æqualiter in omnibus legibus, sed diversimodè, juxta naturam cujuslibet; nam ut omittamus legem æternam & naturalem, de quibus suo loco dicemus, lex divina positiva non erit tam solemniter promulgatione, sicut lex humana; aliquando enim lex divina promulgatur solà internà revelatione, ut multis Prophetarum contigit; aliquando per solam externam propositionem, factam à Deo, sine aliqua solemnitate, quâ ratione Christus Dominus promulgavit suam legem Apostolis; aliquando verò per aliqua signa externa, cum solemnitate quadam; & hoc modo lex Mosaicæ promulgata fuit in monte Sina, & lex Evangelica in die Pentecostes. Lex tamen humana, semper debet promulgari per signa externa, cum aliqua solemnitate, & sic obtinuit usus tam in Republica sæculari quàm Ecclesiastica. Ratio verò hujus differentie est, quia cum Deus legis divinæ institutor, sit supremus Dominus simpliciter & omnibus modis, potest modo quo voluerit intimare legem & obligare ad ejus observantiam: homo verò qui non habet tam supremum dominium, id non potest, sed cum agat veluti duplicem personam, publicam scilicet & privatam, Princeps sic debet proponere legem, ut ex modo proponendi significet se proponere illam ut Principem condentem legem, & non ut particularem personam: hoc autem non fit nisi adhibita aliqua solemnitate publicâ, id significante: Ergo lex humana semper promulgari debet per signa externa cum aliqua solemnitate. Utrum verò sufficiat ad hujusmodi solemnem promulgationem quod denuntietur in curia Principis, an verò requiratur quod denuntietur in singulis provinciis regni, diocæsisibus, aut civitatibus, dicemus infra disp. 4. cum de lege humana agemus.

C Dico secundo, promulgatio non est de essentia legis, aut ratio formalis illius, sed duntaxat conditio necessariò requisita, ut actualiter obliget sibi subditos. Est contra Medinam, Montezino, Vazquem, & alios, existimantes promulgationem esse de essentia legis, & rationem ejus formalem ingredi. Pro qua sententia Andreas Duvalius citat S. Thomam hic art. 4. sed immeritò, cum S. Doctor ibidem oppositum doceat, ut constabit ex mox dicendis.

Probat ergo primò conclusio ex D. Thoma hic art. 4. ubi asserit promulgationem esse applicationem legis ad illos qui per illam obligantur: Sed applicatio alicujus rei supponit rem jam constitutam in sua ratione formali: Ergo promulgatio supponit legem jam constitutam in sua ratione formali, & sic non est ratio formalis illius, sed duntaxat conditio necessariò requisita ut actualiter obliget.

Confirmatur: Ita se habet, ut ait S. Doctor, promulgatio legis ad legem, sicut applicatio men-
T t t ij

571

581

591

furæ ad mensuratum: Sed applicatio mensuræ ad mensuratum, supponit mensuram in sua ratione formali constitutam, ut patet inductione in omnibus mensuris: Ergo etiam promulgatio legis, eam supponit in sua ratione formali constitutam, subindeque ejus essentiam vel rationem formalem non ingreditur.

60. Probatur secundò conclusio ratione: Lex est actus prudentiæ existentis in Principe, ut constat ex dictis art. 1. Sed tota ratio formalis hujus actus salvatur ante actualem promulgationem factam subditis: Ergo & tota essentia legis. Probatur minor: Actus prudentiæ est actus intellectus practici dicantis aliquid esse faciendum: Sed ante actualem promulgationem salvatur hujusmodi dictamen: Ergo &c.

61. Probatur tertio: Lex in pectore Legislatoris recondita, nondum promulgata, apta est ad inducendam obligationem: Sed talis aptitudo sufficit ad essentiam legis, nam res per aptitudinem & actum primum, ut docent Philosophi, definiuntur, & non per actum secundum, qui modò est, modò verò non est: Ergo tota essentia & definitio legis salvatur, ante ipsius promulgationem.

62. Ut ista conclusio magis illustretur, & Adversariorum argumenta faciliùs dilui possint: Notandum primò, conditionem requisitam ad aliquam rationem formalem esse in duplici differentia. Alia enim est purè accidentalis, & merè extrinseca, quæ proinde à Deo suppleri potest, sicut approximatio agentis ad passum. Alia est intrinseca & essentialis, quæ à Deo suppleri non potest, & modus intrinsecus vocari solet, qualis est apprehensio seu cognitio in objecto voluntatis, bonum enim est ratio formalis talis objecti, apprehensio verò est conditio, adeò tamen necessaria, ut bonum non possit, etiam de potentia absoluta, terminare actum voluntatis, nisi sit apprehensum, juxta illud Augustini: *Invisa amare possumus: incognita nequaquam.* Cum ergo dicimus in conclusione, promulgationem esse conditionem necessario requisitam, ut lex obliget in actu secundo, loquimur de conditione hujus secundi generis, seu intrinseca & essentiali, non verò de purè extrinseca & accidentali.

63. Notandum secundò, quòd sicut in calore ignis duo possumus considerare, nempe quòd sit calefactivus, & quòd actu calefaciat: primum autem convenit illi essentialiter, secundum verò accidentaliter; primum antecedenter ad actualem applicationem, secundum non nisi post illam: sic in lege considerare possumus, & quòd sit obligativa in actu primo, ut ita dicam, & quòd actualiter obliget. Primum est illi essentialiter, eique convenit ante actualem promulgationem, secundum accidit ei, cum sit actus secundus respectu primi, & non convenit ei, nisi post promulgationem. Dicimus ergo in conclusione, quòd sicut applicatio non est ratio formalis, neque conditio ut calor ignis sit calefactivus, bene tamen est conditio ut actu calefaciat: ita promulgatio non est ratio formalis, imò nec conditio ut lex sit obligativa in actu primo, subindeque non ingreditur illius essentiam, sed totam illam supponit, sicut applicatio caloris, supponit totam essentiam caloris, est tamen conditio ut actualiter obliget sibi subditos; cum hac differentia, quòd applicatio caloris possit suppleri à Deo, quia est tantum conditio accidenta-

lis, promulgatio verò non potest suppleri ab illo, quia est conditio essentialiter requisita, cum requiratur per modum propositionis objecti voluntatis, quæ cum sit appetitus rationalis, id est sequens ductum rationis & cognitionem intellectus, non potest ferri in incognitum.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò contra primam conclusionem: Ad revocationem legis non requiritur promulgatio: Ergo nec ad ejus constitutionem.

Respondent aliqui, negando consequentiam & paritatem, quia (inquunt) plura requiruntur ad construendum, quàm ad destruendum. Sed hæc solutio displicet, nam licet ut plurimum plus requiratur ad edificationem, quàm ad destructionem, hoc tamen non semper est verum, sed contingit aliquando, totum quòd requiritur ad constitutionem, requiri ad destructionem; maxime quando modus destructionis est ejusdem rationis ac modus constitutionis, ut contingit quando una lex revocatur per aliam. Imò contingere potest, id quòd sufficit ad constitutionem, non sufficere ad destructionem, ut patet in matrimonio, in quo consensus utriusque conjugis sufficit ad constitutionem matrimonii, non verò ad ejus dissolutionem. Unde melius respondetur, negando Antecedens, dum enim lex non revocatur per solemnem promulgationem, censetur moraliter perseverare cum sua prima & legitima promulgatione, & consequenter obligare in actu secundo; sicut dum valor monetæ non revocatur revocatione solemni, intimatà subditis, moraliter loquendo censetur manere, ut constat ex usu.

Objicies secundò contra secundam conclusionem: Gratianus cap. *In istis* dist. 4. sic ait: *Leges instituuntur, cum promulgantur:* Ergo ante promulgationem non sunt, subindeque promulgatio pertinet ad rationem formalem earum.

Confirmatur ex D. Thoma hic art. 4. dicente quòd ut lex virtutem habeat obligandi, necesse est ut promulgetur: Ergo ante promulgationem non habet rationem formalem legis. Consequentia patet, quia ad rationem formalem legis pertinet vis ad obligandum, unde lex à ligando dicitur, ut idem S. Doctor art. 1. asserit.

Confirmatur ampliùs, quia in definitione legis quam tradit S. Thomas hic art. 4. ad calcem corporis articuli ingreditur promulgatio, ut constabit ex infra dicendis: Ergo illa pertinet ad rationem formalem legis, nam definitio debet explicare rationem formalem rei, sicut explicat illius essentiam.

Ad objectionem respondeo autoritate illà Gratiani solum probari, quòd per promulgationem solum instituuntur leges completè, tanquam per conditionem, quantum ad vim obligandi in actu secundo, non verò tanquam per rationem formalem & quidditativam.

Ad primam confirmationem similiter dicendum, quòd quando D. Thomas ait quòd ut lex virtutem habeat obligandi, necesse est ut promulgetur, solum incendit, legem ante promulgationem non habere vim obligandi in actu secundo, quia promulgatio, licet non sit de essentia legis, aut ratio formalis illius, est tamen conditio essentialiter requisita, ut lex actualiter obli-

get sibi subditos, ut in secunda conclusione diximus. Unde quando dicitur, quod ut lex habeat vim obligandi in actu secundo, requiritur ut promulgetur, *ly ut reduplicat tantum conditionem intrinsecam*, non vero rationem formalem; sicut quando dicitur quod ut bonum habeat vim movendi voluntatem in actu secundo, requiritur ut cognoscatur, illique per intellectum proponatur, particula *ut* exprimit solum conditionem intrinsecam, non vero rationem formalem objecti motivi voluntatis. Ex quo patet ad secundam confirmationem, in definitione enim alicujus non solum potest ingredi id quod se habet ut ratio formalis, sed etiam id quod se habet per modum conditionis intrinsecæ, sic enim in definitione fidei ingreditur obscuritas, & in definitione objecti voluntatis, apprehensio intellectus. Sic ergo D. Thomas definit legem, non solum quantum ad rationem formalem illius, sed etiam ut est in esse completo obligandi in actu secundo, posuit in ejus definitione promulgationem, quæ est modus intrinsecus illius ut obligantis in actu secundo.

67. Objicies tertio: Si promulgatio non esset de essentia legis & ratione formali illius, sed duntaxat conditio, sequeretur quod ante promulgationem lex humana obligaret subditos, quomodo cumque eis innotesceret: Sed hoc dici nequit, ut omnes fatentur: Ergo nec illud. Sequela Majoris probatur. Si promulgatio non sit de essentia legis, lex humana ante promulgationem habebit totam suam essentiam & rationem formalem: Ergo quomodo cumque illa innotescat, obligabit subditos, cum vis obligandi sit inseparabilis à ratione formali legis.

Nec valet si dicas, quod licet lex humana ante promulgationem habeat omnem suam rationem formalem, deest tamen ei applicatio, quæ fit per promulgationem, & sic non habet vim obligandi. Nam semel constituta lege per suam rationem formalem, sufficienter applicatur per notitiam ejus, quomodo cumque habeatur, cum applicatio ad nihil aliud requiratur, nisi ut lex veniat in notitiam subditorum.

68. Respondeo, negando sequelam Majoris, & ad ejus probationem, approbo responsum datam, & ad illius impugnationem dico, quod ut lex humana obliget in actu secundo, debet innotescere & applicari subditis, non per quamcumque notitiam, sed per notitiam legi humanæ proportionatam: hæc autem solum habetur, cum Princeps illam proponit, non ut persona privata, sed ut persona publica, subindeque cum eam facit intimare cum aliqua solemnitate; unde si alio modo innotescat, illa notitia non sufficit ad obligandum.

§. III.

Corollarium precedentis doctrinae.

69. EX dictis colligitur legem sic rectè defini à D. Thoma hic art. 4. in calce corporis articuli: *Lex est quadam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet promulgata.* Quam definitionem elicit S. Doctor ex quatuor articulis hujus quæstionis, in quibus totam legis essentiam declarat. Nam in primo ostendit, quod sit ordinatio rationis. In secundo, quod debeat respicere bonum commune. In tertio, quod debeat ferri ab eo qui curam habet communitatis. In quarto denique, quod debeat

Tom. III.

A esse ab eo promulgata. Nihil verò aliud ad essentiam legis requiritur.

Occasione solutionis ad tertium, art. 4. hujus quæstionis, ubi S. Doctor ait, quod *promulgatio præsens ad futurum extenditur per firmitatem scripturae, quæ quodammodo semper legem promulgat: quærun hinc aliqui, an sit de ratione legis, quod sit scriptis mandata?*

Sed breviter respondeo negativè: Id enim constat primò ex Aristotele 10. Ethic. cap. ultimo, ubi sic ait: *Scripta ne sint, an non scripta leges, ininteresse nihil videtur.* Secundo ex jure civili Infit. de jure naturali, gentium, & civili, §. *Sed & quod constitutum est*, ubi sic dicitur: *Quodcumque constituit Imperator per epistolam, vel cognoscens decrevit, legem esse constat.* Ubi dividit decretum à scriptura, & utrumque legem esse affirmat. Tertio ex jure Canonico: nam in cap. *Consuetudo* dist. 1. dicitur *non referre quod lex scripturæ an ratione consistat, quoniam ratio legem commendat.* Id demum variis exemplis suaderi potest: Nam in statu innocentie præceptum de non edendo cibo vetito, quod Deus primis parentibus imposuit, scriptum non erat, ut ex capite 2. Genesis constat; & tamen illud veram rationem legis habebat, cum non tantum primos parentes, sed eorum etiam posteros, si in statu innocentie permanissent, obligaret. Lex etiam Decalogi, quæ præcepta naturalia (unico dempto, quod est de sabbato observando) continet, & quæ propterea in lege naturæ obligabat, non fuit scriptis mandata, nisi post duorum annorum millia, nempe cum Moyse legem illam, quam in duabus tabulis lapideis, digito suo Deus conscripserat, scriptis consignavit. Similiter lex Evangelica veram haberet rationem legis, tamen non esset scriptis mandata, per hoc solum quod verborum esset à Christo instituta & promulgata, & in cordibus hominum, id est in eorum memoria, scripta maneret, juxta illud Jeremias 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam.* Quod ponderans Apostolus ad Hebræos 8. & 10. asserit hanc esse prærogativam novi testamenti, ut non aramento sed spiritu in cordibus hominum scribatur. Unde ut docet D. Thomas 3. part. quæst. 42. art. 4. Christus Dominus doctrinam & legem suam non scripto sed verbo tradidit, eaque multo tempore obligavit, spatio scilicet octo annorum, antequam litteris mandaretur, ut docent Theophilactus in præfatione in Matthæum, Irenæus lib. 3. contra hæreses cap. 1. & Chrysostomus homil. 1. in Matthæum. Denique consuetudo vim legis habet, ex communi Jurisconsultorum axiomate, & tamen non solet nec debet scribi, saltem à Legislatore, aliàs rationem consuetudinis non haberet: Ergo non est de essentia legis, quod sit scriptis mandata.

C

D

E Verum tamen est, quod ad melius esse, & ut suavis ordo constituendi legem observetur, oportet illam scripto tradi, quia cum ex natura sua sit stabilis, immobilis, & perpetua, connaturaliter petit illum modum ad sui consistentiam, quo melius immobilitas & perpetuitas illius conservetur, & tenaciùs ac firmiùs memoria hominum infigatur: hic autem modus est scriptura, ut de se patet, & docet S. Thomas verbis supra relatis, quibus ait quod *promulgatio præsens ad futurum extenditur per firmitatem scripturae, quæ quodammodo semper legem promulgat: Ergo &c.*

T T t iij

ARTICVLVS V.

Quenam sit legis divisio?

70. **L**ex generaliter dividitur in divinam & humanam: Lex divina est illa, quæ à Dei auctoritate immediatè vim habet, licet ejus promulgatio non fiat à Deo immediatè, sed interventu Angeli vel hominis. Cujusmodi fuit lex vetus à Deo tradita Moyfi per Angelos, & per eum promulgata, & lex Evangelica, à Christo lata, & partim per ipsum, partim per Apostolos publicata. Lex humana est illa quæ fertur immediatè humanâ auctoritate, licet à Deo acceptâ. Primus verò inter homines legislator fuit Moyfes apud Hebræos, Phoroneus apud Græcos, Trimegistus apud Ægyptios, Solon apud Athenienses, Lycurgus apud Lacedæmones, & Numa Pompilius apud Romanos.
71. Lex divina subdividitur in æternam, naturalem, & positivam, quia lex Dei spectari potest vel ut ab æterno concepta, vel ut impressa cujuslibet hominis intellectui, vel ut publicâ promulgatione manifestata. Lex verò divina positiva, in veterem & novam subdividitur. Prima est illa quam Deus dedit Moyfi, per ministerium Angelorum, in monte Sinai, & per Moysem populo Israëlítico. Secunda ea est quam tulit Christus, novi testamenti auctor, & partim per seipsum, partim per Apostolos promulgavit. Sicut autem vetus triplicis generis præcepta continebat, nempe moralia, ceremonialia, & judicialia; sic nova etiam triplicia præcepta complectitur, nempe fidei, sacramentorum, & morum, ut fuis exponemus infra cum de legenaova differemus.
72. Lex humana in Ecclesiasticam & civilem subdividitur. Illa fertur potestate Ecclesiasticâ, ut Papæ, & Conciliorum; ista potestate seculari, ut Regum & Imperatorum. Prima jus Canonicum, altera jus Civile appellatur.
73. Corpus juris Canonici dividitur in decretum & decretales. Decreti collector & ordinator est Gratianus, Monachus, Ordinis S. Benedicti, qui post veteres canonum & decretorum collectores, ingens illud opus contexit & composuit, partim ex Summorum Pontificum decretis, partim ex canonibus Conciliorum, partim ex dictis & sententiis Sanctorum Ecclesiæ Patrum. Hoc autem opus correctum & editum fuit auctoritate Gregorii XIII. Summi Pontificis.
- Decretum verò in tres partes dividitur. Prima pars continet distinctiones centum & unam, in quibus de jure divino & humano, deque his quæ ad mores componendos, quæque ad disciplinam Ecclesiasticam spectant, tractatur. Secunda continet causas triginta sex, & quælibet causa in varias quæstiones distribuitur. Causæ autem triginta sextæ inferitur Tractatus de pœnitentia, qui distinctionibus quinque perficitur. Tertia denique pars decreti, quæ agit de consecratione, quinque distinctiones complectitur.
- Quod attinet ad decretales, quo nomine propriè significantur rescripta seu Epistolæ Summorum Pontificum, ad petentium preces aut relationes emissæ, ex fuerunt collectæ auctoritate Gregorii IX. Summi Pontificis, per S. Raymundum, Ordinis Prædicatorum, ipsius Capellanum, & Pœnitentiarium, & divisæ in quinque libros. Quoties autem decretales simpliciter al-

A legantur, Gregorianæ per excellentiam intelliguntur.

His quinque libris decretalium Gregorij, additus est alius liber decretalium à Bonifacio VIII. Summo Pontifice, quem librum ideò sextum nuncupari voluit. Hoc Bonifacij volumen quinque libros comprehendit.

Sunt & aliæ constitutiones seu decretales, quæ auctorem habent Clementem V. Fuerunt autem editæ & publicatæ ab ejus successore Joanne XXII. solentque appellari Clementinæ, & divisæ sunt in quinque libros.

B Clementinis adjunctæ sunt ab eodem Joanne Papa constitutiones viginti, quæ *Extravagantes* appellantur, quasi vagæ & excurrentes extra prædictos decretalium libros.

Denique sunt aliæ constitutiones à diversis Romanis Pontificibus editæ, quæ *Extravagantes communes* inscriptæ sunt, & quinque libros continent.

Assignat autem Gratianus à dist. 14. usque ad 25. sex principia seu fontes, ex quibus totum jus canonicum eruitur, seu derivatur, nimirum Scripturam sacram, Traditiones, quæ ab Apostolis tanquam ab Evangelij præconibus promulgatæ sunt; Canones Apostolorum, qui tantæ auctoritatis non sunt, quantæ sunt Traditiones; Decreta Summorum Pontificum, & Conciliorum generalium; Concilia particularia, Summi Pontificis calculo confirmata; & Epistolas decretales Summorum Pontificum.

Librorum verò juris civilis, ab Imperatore Justiniano collecti, ordo & divisio est hujusmodi. Justinianus cum animadverteret jus Romanum, quod civile per excellentiam appellatur, in imensam & confusam molem excrevisse, statuit illud certis & brevioribus finibus concludere: Erant autem ante ipsius tempora tres Codices, quibus continebantur leges & constitutiones anteriorum Imperatorum, Gregorianus, Hermogenianus, & Theodosianus, ex quibus unum confecit, quem de suo nomine nuncupavit. Peracto

D Codice Justinianus animum adjecit ad veterum Jurisconsultorum volumina, quorum infinitam prope multitudinem, & in duo millia librorum dispersam, coarctavit ac digessit in quinquaginta libros, qui ideò libri Digestorum appellantur, vel Pandectarum, ducto nomine à græcis vocibus τὰν δὲγομα, hoc est totum capio, quia universam veteris jurisprudentiæ scientiam continent. Deinde ut haberent legum cupidi adolescentes facilem & simplicem viam, quâ progredi possent ad amplissimam juris scientiam, Justinianus componi curavit quatuor Institutionum libros, ut essent totius juris elementa atque principia. Sed quoniâ priori illi Codici pleraque deesse videbantur, Justinianus alij auctiorem & emendatorem edidit, quem vocavit Codicem repetitæ prælectionis; & hic est Codex, quem habemus, & quo utimur. Denique idem Imperator varias constitutiones, quas deinceps imperij sui tempore promulgavit, in unum librum rededit, & has constitutiones modò Novellas, modò Authenticas appellamus. Ergo totum jus civile constat, & compositum est, ex Codice, qui duodecim libris absolvitur, & quinquaginta libris Digestorum, seu Pandectarum, ex quatuor libris Institutionum, & unico libro Novellarum.

E

74

ARTICVLVS VI.

Officia, effectus, & actus legis, breuiter exponuntur.

75. **D**ico primò, duo esse præcipua legis officia, nempe dirigere, & obligare.

Prima pars patet, nam de ratione mensuræ & regulæ est quod sit directiua mensurati & regulati: Sed lex est mensura & regula actuum humanorum, ut constat ex dictis art. 1. Ergo est directiua hominum, eisque ostendit quid agere vel omittere debeant. Quam ob causam vocatur lux Proverb. 6. *Mandatum lucerna est, & lex lux.* Et Psalm. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.*

Secunda etiam manifesta est, lex enim à ligando dicitur, quia per eam (ut ait S. Thomas) *obligantur subditi ad eius obseruantiam.* Vel ut loquitur Cassiodorus, *eo quod animos nostros liget, suisque teneat obnoxios constituitis.* Hæc autem obligatio, vel oritur ex ipsa rerum natura, si lex naturalis est, vel ex potestate & voluntate superioris, si positiva est.

76. **D**ico secundò, præcipuus legis effectus est facere bonos subditos. Ita S. Thomas hic quæst. 92. art. 1. ubi hanc rationem affert: Lex tendit ut faciat subditos obedienter sibi: Ergo ut eos faciat bonos, cum subditorum propria virtus, per quam sunt boni, consistat in eo quod bene obediunt legi, sicut propria virtus Principis est, ut bene subditis imperet.

Porro lex facit subditos bonos, vel simpliciter, vel secundum eam rationem, quæ ei subiecti sunt, ut patet ex intentione cuiusque legis. Lex enim diuina, præsertim Evangelica, intendit ut homo fiat simpliciter bonus, non modò in exteriori opere, sed etiam in interiori animo, atque adeò ut fiat filius Dei adoptivus per gratiam. Lex naturalis, ut fiat bonus virtutibus moralibus, quæ naturæ commensurate sunt. Lex civilis, ut fiat bonus civis, qui exterius faciat ea, quæ ad pacem Reipublicæ sunt necessaria. Lex Ecclesiastica, ut fiat bonus Clericus, qui satis faciat suo muneri.

Dico tertio, quatuor sunt actus legis, nimirum præcipere & prohibere, permittere, & punire. Ita S. Doctor quæst. citatà art. 2.

77. **P**robatur primò, quantum ad tres primos, ratione quam ibidem insinuat: Dantur legis effectus correspondentes humanorum actuum differentis: Ergo sicut sunt tres humanorum actuum differentie genericæ, scilicet bonitas, malitia, & indifferentia; cum actus humani sint vel ex genere boni, vel ex genere mali, vel ex genere seu ex objecto indifferentes: sic legis in genere tres effectus sunt, scilicet præcipere, prohibere, & permittere; nam præcipiuntur actus boni, prohibentur actus mali, & permittuntur indifferentes.

78. **P**robatur etiam quantum ad quartum, quia lex efficaciter actus bonos præcipere & malos prohibere non posset, nisi subditos ex timore pœnæ posset ad bonum inducere, & retrahere à malo: Ergo punitio est etiam actus legis.

79. **D**ices, sicut homines incitantur ad bonum, & retrahuntur à malo, per pœnas, ita etiam & per præmia: Ergo sicut punire est actus legis, ita etiam & præmiare, & sic erunt quinque actus legis, & non solum quatuor.

Sed nego consequentiam & paritatem, ob tri-

A plicem rationem discriminis. Prima est D. Thomæ hic quæst. 92. art. 2. ad 3. quia præmiare ad quemlibet pertinere potest, & sic cum non sit actus superioris, non potest esse actus legis. Punire verò non potest pertinere nisi ad ministrum legis, cuius autoritate pœna infertur, unde est actus superioris & legis. Secunda est, quia punire inducit ad operandum, per modum cuiusdam coactionis, præmium verò non ita, sed per modum cuiusdam exhortationis & quasi consilij, ac proinde illud est actus legis, non verò istud. Tertia est, quia virtus secundum seipsam habet sufficientem honestatem, ut propter seipsam appetatur, unde sibi ipsi est sufficiens præmium, subindeque ad inducendum ad virtutem, quod sit per legem, non requiritur propositio alterius præmij; requiritur autem comminatio punitiois, ut homines, quorum sensus proni sunt ad malum ab adolescentia sua, propter corruptionem naturæ, timore pœnæ non sequantur passionem, sed legi obediunt, & sic bonum commune promoveatur.

B Ad maiorem horum actuum intelligentiam, observandum est primò cum Conrado hic quæst. 92. art. 2. quod illi non dicuntur actus legis, quasi sint elicti ab ipsa, quoniam lex non est habitus, nec potentia, & ita non habet actus elictos; sed illa quatuor dicuntur esse actus legis, quasi integraliter, quia quodammodo integratur lex ex istis quatuor; non quia in qualibet lege in particulari reperiantur omnia ista, sed quia ad legem in communi pertineant; ita quod lex civilis v. g. integretur ex hoc quod præcipit quædam, prohibet alia, aliqua etiam permittit, & adversus transgressores pœnas decernit.

C Advertendum est etiam, permissionem, quæ est tertius actus legis, non consistere in mera negatione præcepti & prohibitionis, ut existimat Lorea hic disp. 3. membro 2. circa finem, sed esse actum positivum, quo legislator in ordine ad bonum commune, & ut maiora mala vitentur, statuit non prohibere aliquos actus indifferentes, aut parùm malos, & permittere ut impunè fiant.

D Talis est lex *Gracchus* in C. ad legem Juliam de adulteriis & stupro; quæ sanxit non esse puniendum eum, qui alterum cum uxore in adulterio deprehensum occideret. Et lex *Nec in ea*, ff. ad legem Juliam, de adulteriis coercendis, quæ statuit non esse puniendum parentem, qui occiderit filium in adulterio deprehensam. Similiter leges civiles, ad vitanda maiora mala, permittunt meretrices & usurarios in civitatibus, statuuntque ut, ob bonum commune Reipublicæ, usuræ & simplices fornicationes à Iudicibus non puniantur. Licet enim illi actus in ordine ad finem legis naturalis, qui est bonum rationis, pessimi sint, subindeque per legem naturalem non permittantur, sed prohibeantur; tamen in ordine ad finem legis civilis, qui est bonum temporale Reipublicæ, indifferentes sunt, aut parùm mali; malum enim Reipublicæ, quod consurgit in illis ex una parte, resarcitur per bonum, quod evenit illi ex alia; occisio namque adulteræ mala est Reipublicæ, in quantum ab ea tollitur una pars ejus, sed hoc compensatur aliunde, ex eo nimirum quod timore occisionis plura evitantur adulteria.



DISPUTATIO II

De lege aeterna.

Ad quaestionem 93. Divi Thomae.

Postquam de lege in communi egimus, restat ut de eius speciebus in particulari differamus, & primò quidem de lege aeterna, cum alia sint tantum illius participationes, ab eaque ut rivuli à fonte deriventur, & dependent. Unde fit

ARTICULVS PRIMVS.

An, & quid sit lex aeterna?

§. I.

Duplici conclusione veritas declaratur.

Dico primò, lex aeterna ponenda est in Deo. Ita D. Thomas supra quaest. 91. art. 1. ubi sic discuitur: Lex nihil aliud est, quam dictamen practicae rationis in Principe, qui gubernat aliquam communitatem perfectam: Sed hoc dictamen invenitur in Deo, respectu communitatis totius universi: Ergo in Deo reperitur lex quae totum universum gubernat. Major constat ex dictis disputatione praecedenti, Minor verò probatur. In Deo est providentia, quae totus mundus regitur, ut Sanctus Doctor ostendit 1. part. quaestione 22. articulo 1. & 2. Ergo tota communitas universi gubernatur ratione divina, & dictamine rationis practicae, existente in Deo, ut in supremo gubernatore. Hanc consequentiam non probat S. Thomas, sed illam supponit. Potest tamen facile probari ex eo quod divina providentia, ut constabit ex infra dicendis, supponit illud dictamen rationis divinae practicae, & ex illo inferitur; sicut conclusio supponit principium ex quo inferitur: Ergo si in Deo est providentia quae cuncta gubernantur, necesse est esse in illo illud dictamen rationis practicae, cum quo habet necessariam connexionem, sicut conclusio cum suo principio. Tunc ultra: Sed illud dictamen rationis practicae in Deo existens, in quo consistit ratio legis, est aeternum, quia divina ratio nihil concipit ex tempore, ut dicitur Proverb. 8. Ergo aliqua lex est aeterna, illa videlicet, quae est ratio gubernationis omnium rerum, in Deo existens.

Hanc legem aeternam agnoverunt Gentiles Philosophi, ut testatur Marcus Tullius lib. 2. de legibus, ubi haec scribit: *Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, legem, neque hominum ingenis excogitatum, neque scitum aliquod esse populorum, sed aeternum quiddam quod universum mundum regeret, imperandi, prohibendique sapientia. Ita principem legem illam, & ultimam, mentem dicebant esse: omnia ratione aut cogentis, id est praecipientis, aut vetantis Dei, ex qua illa lex, quam dii humano generi dederunt, recte est laudata.*

Dico secundò, lex aeterna nihil est aliud quam ratio divinae sapientiae existens in Deo ab aeterno, secundum quod est directiva omnium actuum, & motionum omnium creaturarum, in ordine ad bo-

Anum commune totius universi. Est etiam D. Thomae hic art. 1. ubi sic ratiocinatur: Sicut ratio rerum faciendarum per artem, vocatur ars vel exemplar rerum artificiarum; ita etiam ratio gubernantis actus subditorum, rationem legis obtinet, servatis aliis quae supra diximus esse de legis ratione. Deus autem per suam sapientiam conditor est universarum rerum, ad quas comparatur, sicut artifex ad artificia. Est etiam gubernator omnium actuum & motionum, quae inveniuntur in singulis creaturis. Unde sicut ratio divinae sapientiae, in quantum per eam cuncta sunt creata, rationem habet artis, vel exemplaris, vel ideae: ita ratio divinae sapientiae movens omnia ad debitum finem, obtinet rationem legis. Et secundum hoc lex aeterna nihil aliud est, quam ratio divinae sapientiae, secundum quod est directiva omnium actuum & motionum.

Idem colligitur ex Augustino lib. 21. contra Faustum cap. 27. ubi ait quod lex aeterna est ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans. Et lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. & 6. dicit legem aeternam esse rationem in mente Dei existentem, quae res omnes per congrua media in suos fines ordinantur & dirigitur: Ergo ex mente S. Augustini & D. Thomae, lex aeterna consistit in ratione divina sapientiae, secundum quod est directiva omnium actuum & motionum omnium creaturarum.

CRatio etiam id suadet: nam lex aeterna generalissime loquendo consistit in hoc quod sit regula & mensura ab aeterno existens in Deo, quae mediante omnia Deo subiecta mensurentur & regulentur in ordine ad bonum commune ab ipso intentum: Sed ratio divinae sapientiae ab aeterno in Deo existens, quatenus est directiva omnium actuum & motionum omnium creaturarum, est huiusmodi: Ergo in illa formalissime loquendo lex aeterna consistit. Major constat ex dictis art. 1. & 2. disputationis praecedentis, sibi enim ostendimus, de ratione legis esse, quod sit regula & mensura actionum & motionum subditorum, in ordine ad bonum commune; ideo enim lex dirigitur ad subditos, ut subditi suas actiones & motiones legi conforment & commensurent, propter bonum commune, quod per se primo respicit lex. Minor verò sic ostenditur: De ratione mensurae & regulae est, quod sit directiva regulati & mensurati per illam: Ergo ratio divinae sapientiae, quae est directiva motionum & actionum omnium creaturarum, regula est & mensura illarum.

§. II.

Corollaria notata digna.

EX dictis colligitur primò, legem aeternam multipliciter ab idea differre. Idea enim respicit rem ut creabilem, lex verò aeterna ut gubernandam. Lex aeterna connotat & supponit voluntatem seu liberum Dei decretum de condendis creaturis, idea verò praescribens modum rei faciendae, antecedit decretum; unde lex aeterna versatur solum circa creaturas futuras, Deo in sua aeternitate praesentes; idea verò est etiam de creaturis possibilibus, quae Deo in sua aeternitate praesentes non sunt. Idea se habet per modum determinantis agens ad specificationem operis, ex parte objecti, lex verò per modum obligantis ad executionem operis. Demum licet ideae in Deo multiplicentur, tamen lex aeterna unica est, quia

idea

ideæ dicunt ordinem ad diversas creaturas, secundum proprias & distinctas earum rationes & quidditates; lex verò æterna respicit actiones omnium creaturarum, sub una ratione communi, nempe quatenus ordinatur ad bonum commune universi.

76 Colligitur secundo, legem æternam differre in multis à providentia: lex enim æterna, per se primo respicit bonum commune universi, providentia bonum singulare uniuscujusque creaturæ. Lex æterna dicit in sua ratione vim obligandi, non verò providentia. Lex æterna non est Deo imposita, sed creaturis, nec consistit in imperio monastico respiciente actiones Dei, sed in imperio regali subditos respiciente: At providentia consistit in imperio monastico, & immediatè respicit actum Dei liberum, qui dicitur usus, & mediatè executionem, ut in Tractatu de voluntate Dei disp. 8. art. 2. declaravimus. Demum providentia comparatur ad legem æternam, ut conclusio particularis ad principium universale, ut docet S. Thomas quæst. 5. de verit. art. 6. Sicut enim lex in nobis tradit regulas in generali, v. g. diligendum esse Deum, parentes honorandos &c. juxta quas regulas prudentia hæc & nunc colligit esse operandum. Ita lex æterna in Deo tradit generales regulas gubernationis universi, v. g. lapidem deorsum, ignem sursum inclinari; providentia verò juxta illas regulas de motibus creaturarum in particulari disponit, & ideò providentia legem æternam habet pro principio.

8. Colligitur tertio cum D. Thoma hic art. 2. nulum præter Deum posse cognoscere legem æternam, ut est in seipsa, cum illa, ut ostendimus, nihil aliud sit, quam ratio divinæ sapientiæ, existens in Deo ab æterno; omnes tamen creaturas rationales posse eam cognoscere secundum aliquam ejus irradiationem, seu participationem majorem vel minorem, quatenus omnes veritates aliquatenus cognoscunt, saltem quantum ad principia communia legis naturalis. Sicut aliquis non videns Solem in sua substantia, cognoscit ipsum in sua irradiatione; omnis enim cognitio veritatis est quædam irradiatio, & participatio legis æternæ, quæ est veritas incommutabilis, ut Augustinus dicit in libro de vera Religione cap. 18.

9. Colligitur quarto cum eodem S. Doctore, art. 3. ejusdem quæstionis, universas leges ab æterna derivari. Nam in omnibus moventibus ordinatis, virtus secundi moventis derivatur à primo movente; unde cum lex æterna sit ratio gubernationis in supremo gubernante, necesse est quod omnes rationes gubernationis, quæ sunt in inferioribus gubernantibus, à lege æterna deriventur. Adde quod, sicut Deus, ex eo quod est ens per essentiam, est causa universalis influens esse in omnes effectus; ita ex eo quod est lex per essentiam, est lex universalis influens vim in omnes leges creatas. Porro in quavis lege duo sunt, & rectum iudicium, quo, aliquid faciendum aut vitandum iudicatur, & obligatio legitimam supponens in obligante potestatem: utrumque verò ab æterna lege derivari, testatur Scriptura Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditiones iusta decernunt.*

10. Ad pleniorum hujus corollarii intelligentiam duo breviter hæc observanda sunt. Primum est, duplicem causalitatem legis æternæ erga leges creatas posse distingui. Alia est in genere causæ

Tom. III.

A efficientis, quatenus Deus concurrendo cum natura intellectuali, per lumen rationis, quod est proximum omnis legis creatæ principium, & intellectum Principis applicando ad rectum iudicium præceptivum, dicitur causa universalis omnium legum. Altera verò pertinet ad genus causæ exemplaris, quia omnis lex creatæ, eatenus habet vim dirigendi & regulandi actus humanos, quatenus conformatur legi æternæ, ut primo exemplari in regulando.

Advertendum etiam, non omnes leges eodem modo ab æternâ promanare, nam divina immediatè ab ea dimanant, cum sit ipsa lex æterna in adæquatè sumpta, solâ temporali promulgatione à seipsa distincta; naturalis, medio rationis lumine; humana, mediâ potestate, vel ab ipso Deo immediatè, vel mediante Reipublicæ consensu, Principibus communicatâ.

B Colligitur quinto cum D. Thoma art. 4. ejusdem quæstionis, quod cum lex æterna sit ratio divinæ gubernationis, quæcunque divinæ gubernationi subduntur, subjiciuntur etiam legi æternæ; quæ verò gubernationi divinæ non subduntur, neque legi æternæ subduntur. Unde nulla operatio increata subjacet legi æternæ, sed est realiter ipsa lex æterna; omnes verò operationes creaturarum sive rationalium sive irrationalium ei subjiciuntur, quia omnes subjacent divinæ gubernationi.

C Advertendum tamen, operationes quibus irrationales creaturæ ad suos fines diriguntur, subjici legi æternæ, non ut formaliter præcipienti & obliganti, sed ut ordinanti & moventi ad suos fines, per proprias earum operationes, & nativas inclinationes, quæ sunt quasi leges creaturarum irrationalium, quibus intrinseco pondere in fines propter quos sunt creatæ diriguntur. Ratio est, quia præceptum & obligatio dirigitur solum ad subiectum capax obedientiæ & obligationis, sunt enim hæc correlativa; Sed creaturæ irrationales non sunt capaces obedientiæ & obligationis, quia hæc cum notitia præcepti supponunt liberam voluntatem exequendi quæ superior jubet: Ergo operationes quibus creaturæ insensibiles & rationis expertes, ad suos fines diriguntur, non subjiciuntur legi æternæ, ut formaliter præcipienti & obliganti, sed ut ordinanti, & moventi, ut docet S. Thomas hic art. 5. in corp. ubi sic ait: *Sicut homo imprimit denuntiando quoddam interius principium actuum homini sibi subiecto, ita etiam Deus imprimit toti nature principia priorum actuum, & ideò per hunc modum Deus dicitur præcipere toti nature, secundum illud Psalmi 148. Præceptum posuit & non præteribit; & per hanc etiam rationem omnes motus & actiones totius nature, legi æternæ subduntur. Unde alio modo creaturæ irrationales subduntur legi æternæ, in quantum moventur à divina providentia, non autem per intellectum divini præcepti, sicut creaturæ rationales.*

E Notandum etiam cum eodem S. Doctore ibidem art. 6. illud esse discrimen inter bonos & malos, quod boni perfectè subsunt legi æternæ, tanquam semper secundum eam agentes; mali autem imperfectè quidem, ex parte actionis, quatenus imperfectam habent cognitionem boni, & inclinationem ad illud; ac perfectè ex parte passionis, quatenus scilicet patiuntur, quantum lege divinâ præscriptum est. Quo fit, ut nihil sit in hoc universo, etiam malum culpæ, quod æternam Dei legem subterfu-

Vuu

giat. Nam quod unâ viâ ab illa defleat, aliâ viâ in eandem relabitur. Dum enim peccator malè agendo ab æterna lege Dei peccata prohibentis se subtrahit, in eandem, justam pœnam taxantem, incidit, ut in Tractatu de voluntate Dei fufius declaravimus.

Disp. 8.
art. 11.
§. 2.

ARTICVLVS II.

Utrum lex æterna sit verè & propriè lex?

NEgant Vazquez suprà quæst. 91. art. 1. & Lorca disp. 5. membro 2. pluresque alij Recentiores, existimantes legem æternam non esse legem, nisi impropiè & metaphoricè, & per quandam analogiam & similitudinem ad legem verè & propriè dictam. Sententia tamen affirmans, menti S. Doctoris, & principiis articulo præcedenti statutis conformior est. Unde

Dico breviter, legem æternam esse verè & propriè legem.

Patet ex suprà dictis, nam D. Thomas legem æternam numerat tanquam præcipuam inter leges, & fontem ac exemplar omnium aliarum. Unde suprà quæst. 91. art. 2. ait quod *lex naturalis nihil aliud est quàm participatio legis æternæ in rationali creatura*; unde cum lex naturalis habeat verè & propriè rationem legis, à fortiori lex æterna erit verè & propriè lex. Quare Cicero lib. 2. de legibus, illam numerat inter leges, aitque quod est *lex vera, atque princeps*.

Ratio etiam suffragatur: Nam lex propriè dicta nihil aliud est, quàm quædam ordinatio rationis in bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis promulgata: Sed lex æterna est hujusmodi: Ergo verè & propriè legis rationem habet. Major constat ex definitione legis tradita à Divo Thoma suprà quæst. 90. art. 4. Minor etiam, quantum ad primam partem, nempe quod lex æterna sit ordinatio rationis in bonum commune ab eo qui curam habet communitatis, constat ex dictis articulo præcedenti. Quantum verò ad secundam, quod nimirum sit à Deo promulgata, ex objectionum solutione patebit.

Obijcies ergo primò cum Vazque: Lex æterna nihil aliud est quàm idea rerum in mente divina existentes: Atqui idea non habet verè & propriè rationem legis, sed tantum metaphoricè: Ergo & lex æterna. Minor constat ex dictis articulo præcedenti. Major verò probatur ex D. Thoma hic art. 1. asserente legem æternam esse ipsam rationem gubernationis rerum in Deo: Sed ratio gubernationis rerum in Deo est idea, ut docet idem S. Doctor. 1. p. quæst. 15. Ergo lex æterna nihil aliud est, quàm idea rerum in mente divina existentes.

Respondeo negando Majorem, longè enim diversa est ratio ideæ in Deo, & legis æternæ, quidquid dicat Vazquez, qui nec mentem Divi Thomæ, nec naturam divinarum idearum, neque legis æternæ essentiam & quidditatem penetravit. Nam quamvis idea sit ratio existens in Deo, & similiter lex æterna, diversimodè tamen, ut enim constat ex D. Thoma 1. p. qu. 15. art. 1. idea est ratio rei faciendæ, sive forma ad cuius similitudinem factus mundus est; lex verò æterna est ratio gubernandi res, quæ jam per ideas præsupponuntur factæ, vel faciendæ; unde in Deo supponitur ratio ideæ ad rationem legis æternæ; sicut in creatura supponitur creatio ejus ad gubernationem ipsius

in ordine ad ultimum finem. Plura alia discrimina inter ideam & legem æternam articulo præcedenti §. 2. coroll. 1. adduximus.

Obijcies secundo cum eodem Authore: De ratione veræ legis est promulgatio: Sed nulla lex potest ab æterno promulgari: Ergo nulla est verè lex æterna. Major constat ex dictis disp. præcedenti art. 5. Minor verò probatur ex eo quod nullæ ab æterno fuerint creaturæ, quibus aliqua lex promulgari potuerit.

Nec valet quod ait D. Thomas suprà quæst. 91. art. 1. ad 2. ex parte Dei promulgationem legis æternæ factam esse suo Verbo ab æterno, & scripturâ libri vitæ, licet ex parte creaturæ audientis aut inspicientis, non fuerit facta ab æterno, sed in tempore. Non valet, inquam, Primò quia promulgatio est per se requisita ad rationem legis, unde per se pertinet ad illam: Sed Verbum Divinum, & ejus processio, non pertinent per se ad rationem legis, quia lex æterna est aliquid essentialè in Deo, Verbum autem est aliquid personale: Ergo impertinenter recurritur ad Verbi Divini processionem, ad statutum legis æternæ promulgationem.

Secundò, Liber vitæ nihil aliud est quàm æternæ Dei scientia, & firma notitia, in qua res metaphoricè dicuntur scriptæ: Sed hæc notitia non potest habere rationem promulgationis: Ergo nec liber vitæ. Minor probatur, quia promulgatio debet fieri iis quibus lex imponitur: ab æterno autem non fuerunt creaturæ quibus lex imponeretur, nec quibus promulgaretur.

Si autem dicas cum D. Thoma ibidem in resp. ad 1. quod licet creaturæ non fuerint ab æterno in seipsis, & in propria mensura, fuerunt tamen apud Deum præsentæ ab æterno in mensura æternitatis, quod sufficit, ut quantum est ex parte Dei fiat eis legis æternæ promulgatio. Contra hæc responsum instat Vazquez, eamque infringere conatur, tum ex eo quod præsentia illa rerum futurarum in æternitate, sicutia omnino videtur, & à Thomistis excogitata: Tum etiam, quia tamen gratis admittatur, non sufficit ut aliqua lex dicatur fuisse creaturis ab æterno promulgata; alioquin (inquit) lex Mosaica, quam dedit Deus in monte Horeb, potuisset dici lex æterna, vel ab æterno promulgata, quia populus ille, tænitrua, & reliqua cum quibus facta est promulgatio illius in tempore, fuerunt etiam præsentia æternitati.

Addit Vazquez, quod promulgatio legis debet esse opus extra Deum, quod non dicitur simpliciter fieri ab æterno, sed tantum in tempore: Ergo quantumcunque creaturæ sint præsentæ Deo in æternitate, hoc non sufficit ut ab æterno dicatur lex aliqua illis promulgata.

Huc objectioni, quæ præcipua Vazquis & aliorum Recentiorum fundamenta continet, quibus moventur ad negandum legem æternam verè & propriè rationem legis habere: Respondeo primò, promulgationem esse solum conditionem intrinsecam ut lex obliget in actu secundo, non verò ut habeat rationem legis, & sit obligativa in actu primo, ut disp. præcedenti art. 5. ostensum est. Unde argumentum illud Vazquis solum probat legem æternam, defectu promulgationis, non potuisse obligare creaturas ab æterno; non convincit tamen, eam ab æterno non habuisse verè & propriè rationem legis, vimque obligandi creaturas in tempore producendas, subindeque obiectio illa sponte cor-

ruit, & in fumum & auras evanescit.

20. Respondeo secundò, promulgationem legis posse considerari ex parte ipsius legislatoris promulgantis, & ex parte subditi cui promulgatur, posseque contingere, quod priùs existat in legislatore promulgante, quam in subdito cui promulgatur; imò de facto ita contingere, etiam in humanis, cum videamus priùs promulgari legem in curia à legislatore, & postea decursu alicujus temporis pervenire ad subditos. Sic igitur dicendum est de lege æterna, eam scilicet ex parte Dei fuisse promulgatam ab æterno, ad creaturam autem non pervenisse hujusmodi promulgationem, nisi in tempore. Unde ad objectionem in forma respondeo, datà Majori, distinguendo Minorem: Nulla lex potest ab æterno promulgari, promulgatione se tenente ex parte creaturarum, concedo Minorem. Promulgatione se tenente ex parte Dei supremi legislatoris, nego Minorem & Consequentiam. Unde optima est responsio D. Thomæ, dicentis ex parte Dei promulgationem legis æternæ factam esse Verbo Divino, & scripturâ libri vitæ, quamvis ex parte creaturarum fuerit solum facta in tempore.

21. Ad primam verò illius impugnationem, respondeo, datâ etiam Majori, negando Minorem, & ad illius probationem dico, quod licet Verbum Divinum sit aliquid personale, illo tamen exprimitur non solum quod personale est in Deo & relativum, sed etiam quod est absolutum, tam necessarium, quam liberum; imò ipsa Dei opera illo declarantur, ut docet D. Thomas hic art. 1. ad 2. ex S. Augustino lib. 15. de Trinit. cap. 14. Unde illa expressio legis æternæ facta Verbo, propriè habet rationem promulgationis ex parte Dei, quantumcumque lex sit aliquid absolutum in Deo, Verbum autem aliquid relativum.

22. Ad secundam de libro vitæ, transeat Major, & negatur Minor. Ad probationem illius dico quod ex eo quod creaturæ non fuerint ab æterno, solum infertur quod promulgatio ut se tenet ex parte creaturarum non potuerit esse ab æterno, non verò ut se tenet ex parte Dei; nam ut sit ab æterno prout se tenet ex parte Dei, sufficit & requiritur quod creaturæ futuræ sint Deo præsentibus ab æterno in æternitate, non verò exigitur quod sint ibi præsentibus in seipsis, & in propria mensura. Ratio est, quia Deus non promulgavit legem æternam, ut creaturæ subderentur sibi ab æterno, sed ut sibi subjicerentur in tempore pro quo erant futuræ in propria mensura: Unde non requiritur quod fuerint ab æterno in seipsis, sed sufficit quod fuerint ab æterno in mensura æternitatis, & quod ab æterno fuerint cognitæ & præordinatæ per legem æternam.

23. Ad instantiam in contrarium dicendum, præsentiam futurorum contingentium in æternitate, verissimam esse, & passim doceri à SS. Patribus, & à D. Thoma, ut in Tractatu de scientia Dei fusè ostendimus; eamque, si admittatur, sufficere ut lex promulgetur ab æterno ex parte Dei, licet non ex parte creaturarum. Ex eo tamen non sequitur, ut objicit Vazquez, quod lex Mosaica possit dici lex æterna; licet enim tam lex illa, quam tonitrua, populus &c. fuerint Deo præsentia in æternitate, ipsa tamen lex exterius data illi populo, in tempore data fuit, considerata in seipsa; unde non potest dici æterna, licet potuerit dici præsens Deo in æternitate. Ratio autem gubernationis rerum in Deo existens, in se-

Tom. III.

A ipsa fuit ab æterno, respiciens creaturas futuras in tempore, & Deo præsentibus in æternitate, & sic jure optimo dicitur lex æterna.

Ad id quod additur, Respondeo promulgationem, ut se tenet ex parte creaturarum, esse opus ad extra, subindeque non esse ab æterno, sed in tempore; ut autem se tenet ex parte Dei, esse actum liberum pertinentem ad imperium intellectus divini, & sic non posse non esse ab æterno.

24. Quæres, quomodo lex æterna creaturis existentibus in tempore promulgetur?

B Respondeo eam creaturis intellectualibus promulgari per quandam impressionem luminis in intellectu, juxta illud Psalmi 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* creaturis verò ratione carentibus promulgari per impressionem inclinationis & instinctus naturalis: quia lex æterna promulgatur creaturis secundum modum illis convenientem: Primus autem modus promulgationis convenit creaturis intellectualibus, alter verò rebus naturalibus, & creaturis ratione carentibus, quæ solo instinctu & inclinatione innatâ tendunt in suos fines.

25. Notandum tamen, quod impressio illa inclinationis seu principij activi in creaturis irrationalibus, dupliciter potest considerari; primò per modum regulæ proximæ operationis, secundò per modum applicationis legis æternæ ipsi creaturæ irrationali. Primò modo considerata, habet rationem legis æternæ participativè, ut est in mensurato & regulato per illam; secundo autem modo habet rationem promulgationis ejusdem legis.

26. Objicies tertij cum Lorca: Lex æterna non minùs gubernat & comprehendit creaturas irracionales, quam ratione præditas, omnes enim æque huic legi subjiciuntur, ut docet D. Thomas hic art. 4. & 5. Sed creaturæ irracionales non sunt capaces legis verè & propriè dictæ, cum sint præcepti incapaces: Ergo lex æterna non est verè & propriè lex, sed metaphoricè tantum & impropiè.

27. Propter hoc argumentum Suarez lib. 2. de legibus cap. 2. Serra hic art. 1. dubio unico in resp. ad 5. & Aravius hic difficultate 2. censent quod licet lex æterna respectu creaturarum rationalium, quibus modo intelligibili notificatur, exerceat rationem & munus veræ legis, tamen respectu irrationalium, quibus non modo intelligibili, sed per impressionem inclinationis & activi principij, quo moventur ad suos fines, notificatur & promulgatur, non exercere rationem ac munus veræ & propriæ legis, sed tantum cujusdam providentiæ, sive principij gubernationis.

28. Alij verò existimant, legem æternam, non solum quatenus est directiva actuum liberorum creaturarum intellectualium, sed etiam quatenus est directiva actuum & motuum necessariorum creaturarum irrationalium, verè & propriè rationem legis habere, quamvis ut est directiva actuum liberorum creaturarum intellectualium, specialissimè & perfectiori modo rationem legis exerceat; licet enim (inquiunt) promulgatio specialissimè dicta, solum dicatur per ordinem ad creaturas intellectuales; promulgatio tamen absolutè dicta, per comparisonem ad omnes creaturas dicitur; hæc enim nihil aliud est, quam impressio alicujus principij directivi operationis creaturæ, sicut promulgatio specialissimè dicta, est impressio principij directivi operationis mo-

Vuu. ij

ralis: quælibet autem creatura participat à lege æterna principium directivum suæ operationis, ac proinde quælibet participat suam promulgationem debitam & proportionatam suæ naturæ. Unde ad objectionem, juxta hunc modum dicendi, respondetur, concessâ Majori, negando Minorem, & ad illius probationem, dicendum, quod præceptum est duplex; aliud morale, quod est regula operationum moralium creaturæ rationalis; aliud naturale, per intimationem naturalem, quæ fit ex impressione principij motivi in ordine ad finem, juxta illud Psal. 148. *Præceptum posuit, & non praverbit*, & istud Proverb. 8. *Cum legem ponebat aquis, ne transirent fines suos*. Creaturæ igitur irrationales, licet sint incapaces præcepti primo modo sumpti, non tamen præcepti secundo modo accepti, ideoque vera lex eis imponi potest, quia non exoptulatur alium modum præcepti, nisi loquamur de lege specialissimè dicta, prout ad creaturas rationales dirigitur.

Uterque dicendi modus probabilis est, licet primus videatur probabilior, & menti D. Augustini & S. Thomæ conformior, cum ille quæst. 64. in Levit. & habetur in cap. *Mulier* 15. qu. 1. asserat irrationalia esse incapacia legis propriè dictæ: iste verò suprâ quæst. 90. art. 1. dicat, quod lex propriè dicta est mensura humanorum actuum, subindeque rationem verè & strictæ legis, respectu creaturarum irrationalium, quæ sunt incapaces humanorum actuum, non videatur agnoscere.



DISPVATIO III.

De lege naturali.

Ad quæstionem 94. D. Thomæ.

Cum leges omnes à lege æterna deriventur, sintque illius participationes & manifestationes; primum quod eam nobis evidenter manifestat, est lex naturalis; ideoque hæc ante alias explicanda est, & de ejus essentia, seu ratione formali, extensione, ac immutabilitate, breviter hic disputandum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit lex naturalis, seu in quo formaliter consistat?

§. I.

Pramittitur quod apud omnes est certum, & referuntur sententia?

Dari legem naturalem in nobis, constat ex Apostolo ad Roman. 2. dicente, *Habemus legem scriptam in cordibus nostris*. Et paulo post: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, & ostendunt opus scriptum in cordibus suis, & sunt sibi ipsi lex, testimonium illis reddente conscientia*. Item Psal. 4. ait Propheta, *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* Statimque respondet: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Quod de lumine naturalis rationis, quo discernitur quid sit bonum & quid malum, quodque pertinet ad legem naturalem, interpretatur D. Thomas suprâ quæst. 91. art. 2.

A Huc spectat quod habet Augustinus 2. Confess. cap. 4. *Lex tua, Domine, in cordibus hominum scripta est, quam nec ulla unquam delet aut delebit iniquitas*. Et in Psal. 57. *Veritas manu formata in cordibus nostris scripsit: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Hoc ignorare nemo permissus est, etiam antequam lex daretur*. Item lib. 2. de ser. Domini in monte cap. 9. ait, *Nullo animam esse quæ ratiocinari possit, in cuius conscientia non loquatur Deus. Quis enim legem naturalem in cordibus hominum scribit, nisi Deus?* Ad idem pertinet quod ait Ambrosius libr. 9. Epist. 71. *Ea lex (inquit) non inscribitur, sed innascitur, nec aliquâ percipitur lectione, sed profuso quodam natura fonte in singulis exprimitur*. Demum Tullius lib. de legibus, summâ eloquentiâ, & penè divinâ voce, ut loquitur Lactantius, legem hanc naturalem depinxit: *Est quidem (inquit) vera lex, recta ratio, natura congrua, diffusa per omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium, jubendo; vetando, à fraude deterreat. Huic igitur legi, nec prorogari fas est, neque derogari aliquid licet. Nec tota abrogari potest. Nec verò per senatum, aut per populum solvi hæc lege possumus: nec est quærendus explanator aut interpres alius. Non erit alia lex Roma, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed & omnes gentes, & omni tempore, una lex & sempiterna, & immutabilis continebit: unusquisque erit civitanis quasi magister & imperator omnium Deus*.

Ratio etiam suffragatur, si enim detur in nobis lumen naturale pro rerum speculabilium cognitione, multo magis dabitur pro rerum agendum notitia & iudicio.

Confirmatur: Omnis creatura debet suum finem consequi posse; At nulla creatura rationalis suum finem consequi potest absque lege naturali; cum illum non possit consequi, nisi per rectam operationem, nec rectè operari sine lege naturali, à qua in suis operationibus dirigitur: Ergo &c.

D Hoc supposito, difficultas & controversia est inter Theologos, in explicando quid sit lex illa naturalis, seu in quo formaliter consistat? Vazquez enim 1. 2. disp. 180. cap. 3. & Mercurius disp. 2. de legibus sect. 1. docent legem naturalem esse ipsammet naturam rationalem secundum se, quatenus ratione suæ essentia talis est, ut aliquæ actiones sint illi moraliter convenientes, & honestæ; aliæ repugnantes & indecentes. Alensis verò 3. p. quæst. 27. membro 2. & D. Bonaventura in 2. dist. 39. art. 2. quæst. 1. existimant legem naturalem esse habitum, quo nomine non intelligunt qualitatem acquisitam & superadditam potentia, sed ipsum lumen intellectuale, prout in actu primo spectatur, & est vis discernendi honesta & turpia moraliter. Alij legem naturalem collocant non in habitu, sed in actu; inter quos adhuc magna est dissensio: Ariminensis enim, Gabriël, & Almainus, affirmant, legem naturalem esse dictamen rationis indicantis & ostendentis quid consentaneum aut disconsentaneum sit naturæ rationali, docentque talem legem non esse imperantem, sed indicantem, eoque quod nullum includat superioris imperium. Thomistæ verò, Suarez, Valentia, Azorius, Salas, & alij, censent legem naturalem non in dictamine solum ostensivo boni & mali, sed etiam præceptivo, consistere, esseque actum imperij, nos ad ea quæ tali lege præscripta sunt obligantis.

§. II.

*Reiiciuntur tres prima sententia, & quarta
statuitur.*

Dico primò : Lex naturalis non consistit in ipsa natura rationali, quatenus ratione suæ essentia talis est, ut aliqua actiones sint illi moraliter convenientes & honestæ, aliæ repugnantes & indecentes.

4. Probatur primò : Lex naturalis est verè & propriè lex, omnes enim Philosophi & Theologi loquuntur de illa tanquam de vera & propria lege : Sed ipsa natura rationalis præcisè sumpta, non potest dici verè & propriè lex : Ergo lex naturalis in ea consistere nequit, Major constat, Minor probatur. Lex est aliquid rationis, id est actus intellectus practici, aut aliquid constitutum per ipsum, ut disp. 1. art. 1. ex D. Thomas ostendimus : Sed natura rationalis non est actus intellectus, aut aliquid constitutum per ipsum : Ergo natura rationalis præcisè sumpta, non potest dici verè & propriè lex.

5. Probatur secundò : Effectus legis naturalis, quales sunt dirigere, illuminare, obligare, & esse regulam humanarum actionum, immediatè proveniunt à dictamine rationis : Ergo non in ipsa natura rationali, sed in dictamine rationis, consistit lex naturalis. Consequentia patet, quia in illo essentialiter consistit lex, quod immediatè tribuit proprios effectus legis. Antecedens verò probatur, nam ante dictamen rationis, quo indicatur vel ostenditur aliquid esse bonum vel malum, non obligatur homo moraliter, nec ejus operationes diriguntur aut regulantur in esse moris, ut de se patet, & constat in his qui usu rationis carent.

6. Probatur tertio : Lex debet distingui ab eo cui imponitur, sicut id quod obligat, ab eo quod obligatur : Sed natura rationalis, cum sit ipsa essentia & natura hominis, non distinguitur ab homine : Ergo non potest esse lex naturalis respectu illius.

7. Demum probari potest conclusio, destruendo præcipuum fundamentum adversæ sententiæ : Idcirco enim Vazquez & Meratius legem naturalem in ipsa natura rationali consistere volunt, quia (inquunt) ipsa natura rationalis est fundamentum & mensura legis naturalis, & honestatis ipsius, quatenus quæcumque præcipit aut prohibet lex naturalis, per se decent aut dedecent naturam rationalem : Sed hæc ratio nulla est : Ergo ruit præcipuum fundamentum adversæ sententiæ. Minor probatur, quia quidquid est fundamentum & mensura legis aut honestatis, non est propterea lex ; nam v. g. felicitas publica est mensura & fundamentum legum humanarum, neque propterea est ipsa leges humana. Indigentia pauperum est fundamentum & mensura legis aut præcepti faciendi elemosynam, sed non propterea est ipsa lex. Addo quod, si natura rationalis esset lex actuum nostrorum, eò quod illam decent, sequeretur pari modo naturam divinam esse legem actuum divinatorum liberorum, quia pariter tales actus illam decent : Sed hoc dici nequit, cum nullus Patrum vel Doctorum sic loquatur : Ergo nec illud.

8. Dico secundò, lex naturalis non est ipsum lumen intellectuale in actu primo, seu vis discernendi honesta & turpia. Hæc conclusio patet ex dictis in præcedenti, ostendimus enim legem na-

Tom. III.

A turalem consistere in ordinatione seu dictamine rationis : At ordinatio seu dictamen rationis, non est ipsum lumen intellectuale in actu primo, sed actus secundus potentia intellectiva : Ergo lex naturalis non est ipsum lumen intellectuale in actu primo, seu vis discernendi honesta & turpia. Addo quod, Deus habet lumen sibi connaturale, quo perfectissimè cognoscit quæcumque honesta & turpia, & tamen non habet legem propriè dictam : Ergo tale lumen habituale non est propriè lex naturalis : si enim esset lex naturalis respectu nostri, esset etiam respectu Dei.

B Dico tertio, lex naturalis non consistit in dictamine & iudicio solum ostensivo boni & mali, sed etiam præceptivo, nimirum in actu imperij ad ea quæ tali lege præscripta sunt obligantis.

9. Probatur primò : Lex naturalis est verè & propriè lex, omnes enim Philosophi & Theologi, ut supra dicebamus, de ea ut de vera & propria lege loquuntur : Ergo non consistit in iudicio solum ostensivo boni & mali, sed etiam præceptivo. Consequentia patet, tum quia de ratione legis verè & propriè dictæ est præcipere, cum sit actus prudentiæ, quæ præceptiva est ; unde illa consistit formaliter in actu imperij, ut disp. 1. art. 1. declaravimus. Tum etiam, quia lex verè & propriè dicta, est regula & mensura bonitatis aut malitiæ moralis actus humani, ut docet D.

C Thomas supra quæst. 90. art. 1. Sed iudicium solum ostensivum boni & mali, non potest esse regula & mensura bonitatis aut malitiæ moralis actus humani ; quia supponit bonitatem & malitiam actus humani, & tantum indicat illam ; regula autem & mensura alicujus regulati & mensurati, non potest supponere rectitudinem & commensurationem cum illo, aut obliquitatem & difformitatem cum talis rectitudo & ob-

10. quitas dependeant à regula & mensura : Ergo &c. Confirmatur primò : Quando homo peccat contra legem humanam, præcedit iudicium ostensivum malitiæ illius actus, & tamen huiusmodi iudicium non habet rationem legis, ut de se constat : Ergo similiter quando peccat contra legem naturalem, licet præcedat iudicium ostensivum malitiæ illius actus, tamen tale iudicium, ut præcisè & formalissimè loquendo solum est ostensivum illius malitiæ, non habet rationem legis.

11. Confirmatur secundò : Deus habet iudicium ostensivum eorum quæ decent aut dedecent suam naturam, contra quod ipse non potest operari, & tamen non habet legem propriè dictam : Ergo si lex naturalis sit verè & propriè lex, non potest consistere formaliter in dictamine & iudicio solum ostensivo boni & mali, seu eorum quæ decent aut dedecent hominis naturam.

12. Probatur secundò conclusio : Lex naturalis nihil aliud est, quàm participatio legis æternæ in creatura rationali, ut docet D. Thomas supra quæst. 91. art. 2. Ergo non consistit in dictamine & iudicio solum ostensivo boni & mali, sed etiam præceptivo. Consequentia patet, quia lex æterna, prout sic, est præceptiva : Ergo id quod per modum legis participat illam, participat essentialiter vim præcipiendi.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò contra primam conclusionem : Sunt aliqua operationes ita intrinsecè

V u u iij

malæ ex natura sua, v. g. odium Dei, ut nullo modo pendeat malitia earum ex dictamine intellectus; & aliæ ita intrinsecè bonæ ex natura sua, v. g. honorare Deum, ut in sua bonitate non dependeant à iudicio intellectus: Ergo dictamen rationis naturalis non habet rationem legis respectu illarum, sed ipsa natura rationalis, cui convenientes aut disconvenientes sunt.

24.

Confirmatur: Præcepta legis naturalis non continentur in aliquo dictamine libero humani aut divini intellectus: Ergo nullum tale dictamen habet rationem legis naturalis, subindeque ipsa natura rationalis in qua continentur ut illi cõformia, rationem legis naturalis habebit. Consequentia patet, quia præcepta legis naturalis in lege naturali contineri debent, sicut præcepta artis continentur in arte. Antecedens verò probatur, quia præcepta naturalia habent in se necessariam connexionem ex terminis, ut bonum est faciendum, malum est vitandum: Ergo independenter ab aliquo dictamine libero intellectus humani aut divini sunt talia, subindeque non continentur in tali dictamine. Patet consequentia, quia quæ habent necessariam connexionem ex terminis, independentia sunt ab aliquo dictamine libero etiam divini intellectus, ut patet in creaturis possibilibus, quæ quia necessariam habent connexionem cum suis principiis essentialibus & quidditativis, independentes sunt ab aliquo iudicio libero, etiam divini intellectus; unde non cognoscuntur à Deo per scientiam visionis, sed per scientiam simplicis intelligentiæ, ut in Tractatu de scientia Dei declaravimus.

15.

Ad objectionem respondeo, in actibus intrinsecè malis, vel intrinsecè bonis, duplicem bonitatem & malitiam reperiri; aliam in esse naturæ, aliam in esse moris, primamque non desumi per ordinem ad aliquam legem, sed penes convenientiam aut disconvenientiam ad naturam rationalem, ut intelligitur habere inclinationem ad bonum consideratum in esse naturæ, antecedenter ad omnem legem; secundam verò sumi proximè quidem per ordinem ad dictamen rationis naturalis, remotè verò per ordinem ad legem æternam; & sic dictamen rationis naturalis, ut est participatio quædam legis æternæ, habet rationem legis naturalis, in ordine ad illos actus.

16.

Ad confirmationem, nego Antecedens, & ad illius probationem dico quod præcepta naturalia, ut bonum est faciendum, malum est vitandum, possunt dupliciter considerari; uno modo per modum quidditatis & cuiusdam essentiaè possibilis, & sic nullam dependentiam habent ab aliquo dictamine libero etiam intellectus divini, sicut aliæ creaturæ possibiles, sed prout sic præsupponuntur ad illud, subindeque à Deo cognoscuntur per scientiam simplicis intelligentiæ. Alio modo possunt considerari per modum exercitij, quatenus scilicet procedunt à Deo in ordine ad obligandam creaturam rationalem ad rectè operandum, & sic dependent à dictamine pratico intellectus divini, & continentur in dictamine rationis creaturæ rationalis, quod est participatio quædam divini dictaminis.

17.

Objicies secundo: Si lex naturalis non consistet in ipsa natura rationali secundum se & secundum sua prædicata quidditativa considerata, sed in aliquo dictamine libero Dei, vel in aliqua illius participatione, sequeretur Deum potuisse non præcipere homini actus honestos naturaliter necessarios, ut amare Deum, parentes colere; &

A non prohibere illi actus intrinsecè malos, ut mendacium, furtum, & odium Dei, subindeque hominem posse sine culpa omittere primos actus, & elicere secundos, cum nihil sit peccatum, quod non sit contra legem, ut constat ex definitione peccati, quæ communiter circumfertur ex Augustino: Sed hoc videtur absurdum: Ergo & illud. Sequela Majoris videtur manifesta, nam omne dictamen liberum potuit non esse in Deo: Ergo si lex naturalis sit aliquid dependens à dictamine libero Dei, & non ipsa natura rationalis, potuit Deus per talem legem non præcipere homini actus honestos naturaliter necessarios, & non prohibere actus intrinsecè malos.

B Respondeo negando sequelam Majoris, & ad illius probationem dico, quod licet Deus absolute potuerit non habere dictamen, quo præcipere homini actus honestos naturaliter necessarios, & illi prohibere actus intrinsecè malos; ex suppositione tamen voluntatis creandi naturam rationalem, & eam gubernandi, non potuit non velle prohibere tali creaturæ actus intrinsecè malos, & præcipere actus honestos naturaliter necessarios. Sicut enim posito actu libero promittendi, necessitatur ad actum implendi promissum, & posita voluntate revelandi aliquid, necessitatur ad revelandum verum; ita supposita voluntate creandi & gubernandi hominem, necessitatur ad sapienter regendam creaturam intellectualem à se conditam, & ad curandum ut vivat conformiter suæ naturæ: non potest autem illam rectè gubernare, nisi prohibendo actus malos, qui repugnant fini ad quam ex natura sua ordinatur, & præcipiendo actiones liberas intrinsecè bonas, quæ ex natura habent necessariam connexionem cum illo.

C Objicies tertio contra secundam conclusionem: Lex naturalis semper manet in cordibus nostris; unde Apostolus & SS. Patres supra relati dicunt eam esse scriptam in cordibus hominum: Ergo illa non consistit in actu, qui fluit, & transit, sed in habitu, seu in lumine intellectualem in actu primo considerato, quod durat & permanet.

D Confirmatur: Lex humana, non solum ut est actuale iudicium legislatoris, aut subditi, sed etiam ut est permanens signum in aliqua scriptura, aptum ad excitandum talem cognitionem, dicitur lex: Ergo pariter lex naturalis, non solum ut est actuale iudicium, sed lumen ipsum rationis in actu primo, ex se aptum ad tale iudicium excitandum, vera lex dici potest.

E Ad objectionem respondeo, quod sicut licet conscientia formaliter sit actus quidam rationis, seu actualis notitia, ut ipsum nomen præ se fert, & Tullius docet libro de senectute, ubi sic ait: *Conscientia est bene acta vita multorumque benefactorum recordatio jucundissima*; tamen quandoque à Patribus accipitur in sensu causali, & significatur nomine sui principij, scilicet habitus sindereffis, ideòque ab Hieronymo appellatur sindereffis, à Basilio naturale iudicium, & à Damasceno lux nostri intellectus: ita lex naturalis, quamvis formaliter sit actus vel opus rationis, tamen interdum accipitur à Patribus in sensu causali, pro ipso lumine naturali intellectualem, & habitu sindereffis, subindeque dicitur manens & scripta in cordibus nostris.

Ad confirmationem, concessio Antecedente, nego consequentiam, & paritatem; nam lex humana scripta perseverat in scriptura per modum actus secundi habitualiter permanentis, in quo

ut in signo conservatur iudicium legislatoris; in lumine verò intellectualem lex scripta remanet solum per modum actus primi, qui sicut non sufficit ad legem constituendam, ita nec ad eam conservandam.

21. Objicies quartò contra tertiam conclusionem: Lex naturalis non est præceptum hominis ad alium, nec ad seipsum, neque Dei ad homines: Ergo non est præceptiva, sed solum ostensiva boni & mali. Consequentia patet à sufficienti divisione. Antecedens verò, quoad primam & secundam partem; manifestum est, quia præceptum hominis ad alium, pertinet ad legem humanam; imperium autem hominis ad seipsum, respectu suarum actionum, non habet veram rationem legis, cum lex sit superior ad subditum, & nemo sit superior sibi ipsi. Probatur verò quoad tertiam partem, primò quia præceptum quo Deus aliquid hominibus præcipit, pertinet ad legem divinam, quæ secundum D. Thomam distinguitur à lege naturali. Secundò, quia secluso quocunque præcepto Dei, dictamen rationis naturalis, in quo consistit lex naturalis, dicitur quid sit bonum, quid malum: Ergo lex naturalis non est præceptiva præcepto quo Deus aliquid hominibus præcipiat.

22. Respondeo, concessio Antecedente, quoad primam & secundam partem, negando illud, quantum ad tertiam; Deus enim non solum suam legem æternam, sed etiam legem naturalem, quæ est participatio legis æternæ in creatura rationali, præcipit hominibus ne furentur, ut parentes honorent, & alia huiusmodi, quæ sunt de lege naturæ. Ad primam verò probationem in contrarium, dicendum est legem naturalem esse legem divinam, ut docet Damascenus lib. 4. de fide cap. 23. ubi sic ait: *Lex Dei mentem nostram inscendens, eam ad se pertrahit: conscientiamque nostram vellicat, quæ & ipsa mentis nostre lex dicitur.* Si verò quæras, ad quam Dei legem lex naturæ pertineat? Respondeo illam pertinere ad legem Dei æternam; Licet enim lex æterna & naturalis distinguantur plusquam genere, si in esse rei considerentur, quia lex æterna est aliquid increatum, & ipse Deus, lex verò naturalis est aliquid creatum, nempe aliqua participatio legis æternæ in creatura rationali: si tamen considerentur in ratione legis & mensuræ humanorum actuum, non sunt aliquid diversum, quia utraque respicit eundem humanum actum, ut mensurabilem ab eis; ordine quodam; primariò à lege æterna, & secundariò à lege naturali. Sicut virtus Dei causativa gratiæ regenerantis, & virtus Baptismi, distinguuntur in esse rei plusquam genere; illa enim est ipse Deus, hæc verò aliquid creatum & participatum in Baptismo; in esse verò causæ, non ponunt in numero, quatenus videlicet utraque respicit eundem effectum producendum, scilicet gratiam regenerativam, primariò producendam à virtute divina, ut est in Deo, & secundariò ab eadem virtute, ut participatur in Baptismo.

Ad secundam probationem, nego Antecedens, cum enim dictamen quo Deus præcipit hominibus opera bona, & prohibet opera mala, ex lege Dei æterna derivetur, & sit quædam illius participatio, seclusa lege Dei æterna, & ejus præcepto, nullum esset dictamen rationis naturalis dictans in exercitio hominibus quid sit bonum, & quid malum.

§. IV.

Corollaria notata digna.

EX dictis colligitur, hæc tria, quæ aliàs eadem putari possent, esse distinguenda, legem naturæ, conscientiam, & synderesim. Nam lex naturæ est ipsa ordinatio divinæ voluntatis, nobis à natura impressa. Synderesis, lumen ipsum naturale intellectus, per quod ipsam Dei ordinationem naturaliter cognoscimus. Conscientia verò est ipsa actio mentis, qua formaliter illam cognoscimus, seu iudicium practicum, quo apprehendimus seu iudicamus aliquid esse faciendum vel non faciendum. Addo quod conscientia est de aliquo agibili in particulari, lex verò naturæ est regula universalis de agendis & vitandis in communi. Conscientia est de futuris, de presentibus, & jam factis; lex naturæ tantum disponit de futuris, nec respicit jam facta. Demum conscientia potest esse erronea, non verò lex naturæ, cum rationi veræ legis repugnet esse erroneam.

Colligitur secundò contra Lorcam & Montezino, legem naturæ distingui à collectione præceptorum naturalium ex parte objecti, seu ab objectis præceptorum naturalium, v. g. Deum esse colendum, parentes honorandos, homicidium & furtum non esse faciendum, & similia. Lex enim naturalis formaliter & subjective est in homine, ideòque in Scriptura & SS. Patribus dicitur indita sive impressa cordibus hominum; Sed objecta præceptorum naturalium, non sunt subjective, sed objective tantum in nostro intellectu: Ergo lex naturæ non consistit formaliter in objectis talium præceptorum.

Colligitur tertio, Legem naturalem esse veluti partem quandam legis æternæ; nam lex æterna extendit se ad omnes creaturas, tam rationales, quam irracionales, sicut divina providentia; at lex naturalis ad solam creaturam rationalem, id est ad homines & Angelos duntaxat extenditur. Unde lex naturalis in brutis propriè non residet; quia licet ad ea quæ sibi naturaliter conveniunt inclinationem ab auctore naturæ habeant, hæc tamen inclinatio non se habet per modum cuiusdam directionis & præcepti, sicut in homine, sed per modum cuiusdam impressionis, quatenus scilicet Deus illis imprimit principia intrinseca ad agendum conformiter ad suam naturam, quæ impressio, magis instinctus naturalis, quam lex naturæ appellari debet.

Colligitur quartò, Legem naturalem esse in se simpliciter unam, quia licet præcepta legis naturæ sint plura, omnia tamen connectuntur in fine ultimo naturæ humanæ, ad quem ordinantur, & radicaliter continentur in illo primo & universalissimo principio; *Bonum est faciendum, & malum fugiendum*, quod est unum; unde ab unitate finis, & radicalis ac primi principij, lex ipsa naturalis, simpliciter una dicitur.



ARTICVLVS II.

Virum omnia præcepta Decalogi, omnesque actus virtutum, sint de lege naturæ?

27. Quidam Jurisperiti asserunt sub lege naturali contineri tantum prima principia practica per se nota, non autem conclusiones quæ ex illis deducuntur, cuiusmodi sunt Decalogi præcepta; hæc enim existimant ad jus gentium potius quam ad jus naturæ spectare. Aliqui verò Theologi censent, prorsus à veritate alienum esse, quod docet D. Thomas hic art. 3. nimirum omnes actus virtutum esse de lege naturæ, cum plura (inquunt) opera virtutum non sint de præcepto, sed tantum de consilio. Pro resolutione, sit

§. I.

Utraque difficultas duplici conclusione resolvitur.

Dico primò, omnia præcepta Decalogi (excepto tertio de sanctificatione sabbati, quod quantum ad determinationem temporis, est legis divinæ positivæ, & scriptæ) pertinere ad legem naturalem. Ita communiter docent Theologi & peritiores Juristæ, quos refert & sequitur Turcremata, cap. *Ius gentium* dist. 1. art. 1.

28. Probatum primò ex definitione juris naturalis, quod teste Aristotele §. Ethic. cap. 7. est illud quod ubique vim habet, videlicet ex ipsa rei natura, & non quia videtur vel non videtur, id est non quia voluntariè & arbitrariè instituitur. Vel ut alij dicunt, jus naturale est, quod nec genuit opinio, nec humana aliqua institutio, sed ex sola ratione naturali vim habet: At qui tale est jus quo omnia Decalogi præcepta, excepta determinatione diei festi, observare tenemur; illud enim nec genuit opinio, nec humana aliqua institutio, sed ex vi solius rationis naturalis obligat; ut perspicuum est in cultu Dei, & honore parentum, homicidio, & adulterio, quorum illa ex vi solius rationis exequi, hæc verò vitare tenemur: Ergo omnia præcepta Decalogi (excepto tertio de sanctificatione sabbati, quantum ad determinationem temporis) pertinent ad legem naturæ.

29. Probatum secundò ex differentia quæ reperitur inter legem naturalem & positivam, lex enim naturalis in eo differt à purè positiva, quod illa supponit in objecto honestatem quam præcipit, moralemque necessitatem, & malitiam quam prohibet; unde quæ per illam præcipiuntur aut prohibentur, non sunt bona, quia præcepta, aut mala, quia prohibita; sed è contrariò sunt præcepta, quia bona & moraliter necessaria ex natura rei; vel prohibita, quia mala & naturaliter indecentia. At verò lex purè positiva, non supponit in objecto quod præcipit aut prohibet, moralem necessitatem agendi aut omittendi ex ipsa natura rei, sed illam inducit; quæque per illam præcipiuntur, sunt tantum necessaria moraliter, quia præcepta; & quæ per illam prohibentur, sunt tantum mala & illicita, quia prohibita: Sed omnia quæ præcipiuntur vel prohibentur per Decalogum, excepta determinatione diei festi, sunt bona & honesta, vel turpia & indecentia, ex ipsa natura rei, & seclusa quacunque lege positivâ, ut constat in cultu Dei, & honore parentum, homicidio, furto, & adulterio: Ergo omnia præcepta Decalogi, cadunt sub lege naturæ, excepto præ-

cepto sabbati, quod aliquid habet juris positivè divini, & aliquid juris naturalis. Quatenus enim cultum ipsius Dei præcipit, est de jure naturæ; si quidem natura satis docet, cultum esse Deo, pro collatis beneficiis, & pro supræma ejus excellentia persolvendum; sed quatenus præscribit certum diem potius quam alterum, est juris divini positivè; natura enim hunc diem non præscribit, sed Deus solus eum observandum Adamo & Evæ expressè præscripsit; eò quòd, ut ait Scriptura, à creatione seu ab omni opere quod pararat, die septimo requieverit; & sic duntaxat fuit veteris legis abrogatione antiquatum per Evangelicam, in qua sabbato dies Dominica, Christi resurrectione consecrata, colenda à nobis, successit.

Dico secundò, omnes actus virtutum esse de lege naturæ, si spectentur secundum suam rationem genericam, sive in quantum sunt virtuosè; non verò si considerentur secundum seipsos, & in propriis speciebus. Ita D. Thomas hic art. 3. ubi primam partem conclusionis hac ratione demonstrat: *Ad legem naturæ pertinet omne illud ad quod homo inclinatur secundum suam naturam; inclinatur autem unumquodque naturaliter ad operationem sibi convenientem, secundum suam formam, sicut ignis ad calcificandum; unde cum anima rationalis sit propria forma hominis, naturalis inclinatio inest cuilibet homini ad hoc quod agat secundum rationem, & hoc est agere secundum virtutem; unde secundum hoc omnes actus virtutum sunt de lege naturali. dicitur enim hoc naturaliter unicuique propria ratio ut virtuosè agat.*

Secundam verò ex eo probat, quod multa secundum virtutem sunt, ad quæ natura non primò inclinatur, sed per rationis inquisitionem ea homines adinvenerunt quasi utilia ad bene vivendum, ut patet in actibus iustitiæ commutativæ, qui in emptione & venditione, aliisque humanis contractibus exercentur.

Potest hæc conclusio, quoad utramque partem, hoc exemplo declarari & illustrari: Actus temperantiæ v. g. secundum suam genericam rationem, seu ex genere suo, id est quatenus est actus virtuosus, talis est ut in eum natura inclinet, sicque ad legem naturæ dicitur pertinere: quod autem per abstinentiam à carnibus, & per jejunium quadragesimale debeat exerceri, hoc non est à lege naturali, sed positivâ, pendet enim ex voluntate & præcepto Ecclesiæ.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò contra primam conclusionem: *Lege Omnes*, ff. de iustitia & jure, & *lege Bonâ fide*, ff. de depositi, tribuuntur juri gentium multa quæ deducuntur ex primis principiis practicis per evidentem consequentiam, & pertinent ad præcepta Decalogi: Sed jus gentium distinguitur à jure naturali, ut docet D. Thomas quæst. sequenti art. 4. Ergo præcepta Decalogi non pertinent ad legem naturalem.

Respondeo jus gentium duobus modis usurari posse, strictè scilicet & propriè, seu effectivè, id est, à gentibus institutum; & largè ac impropriè, seu subjectivè, hoc est ab omnibus gentibus observatum; quo pacto coincidit cum jure naturali; cum enim jus naturale ab omnibus gentibus observetur, subjectivè & impropriè, jus gentium

gentium dici potest, juxta illud Tullij Tusculanâ secundâ: *In omni re omnium gentium consensus, lex natura putanda est.* Quando ergo prædictis legibus, multa quæ deducuntur ex primis principiis prædictis per evidentem consequentiam, & pertinent ad præcepta Decalogi, dicuntur ad jus gentium pertinere, usurpatur jus gentium secundo modo, in qua acceptione, ut ostendimus, coincidit cum jure naturali, subindeque ex illis legibus nihil contra primam conclusionem inferri potest.

35. Objicies secundò contra secundam conclusionem: Opera virtutum quæ cadunt sub consilio, & dicuntur supererogationis, non sunt de lege naturæ; cum enim illa præceptiva sit, ea solùm quæ cadunt sub præcepto, sub tali lege cadere videntur: Ergo falsum est, omnes actus virtutum esse de lege naturæ, ut docet S. Thomas hic art. 3.

36. Confirmatur: Si opera virtutum quæ cadunt sub consilio, ut virginitas, & alia ad quæ non tenemur ex præcepto, essent de lege naturæ, consiliū esset actus legis naturalis: Sed hoc est falsum, ut patet ex dictis disp. 1. art. 7. ubi cum D. Thomas ostendimus esse quatuor tantùm actus legis, nimirum præcipere, prohibere, permittere, & punire: Ergo &c. Sequela Majoris probatur: Si hæc opera essent de lege naturæ, lex naturalis inclinaret ad illa, sicut & ad alia: Sed lex naturalis non inclinatur ad aliquod opus virtutis, nisi mediante aliquo actu legis: cum igitur ad prædicta opera cadentia sub consilio non inclinet medio præcepto & prohibitione, permissione, aut punitione, sed solùm medio consilio, si illa sint de lege naturæ, sequitur quod consiliū sit actus legis.

37. Ad objectionem respondet Vazquez, concessio Antecedente, negando Consequentiam, quia, inquit, cum S. Thomas docet, omnes actus virtutum esse de lege naturæ, non loquitur de actibus virtutum qui cadunt sub consilio, & qui dicuntur supererogationis, sed tantùm de actibus præceptis lege naturæ.

Verùm hæc interpretatio aperte repugnat menti S. Doctoris, ut patet ex verbis ejus supra adductis, & ex ratione quæ utitur ad probandum nostram conclusionem, quæ universaliter concludit de omnibus actibus virtutum, cum omnes sint secundùm inclinationem naturæ rationalis, ut virtuosissimi sunt, quæ est ratio D. Thomæ. Præterquam quod si D. Thomas tantùm loqueretur de actibus præceptis lege naturæ, solùm doceret quod omnes actus virtutum præcepti, sunt de lege naturæ, quod per se manifestum est, nec indiget probatione: imò si tantùm hoc vellet, videretur petere principium, & probare idem per idem, cum idem sit formalissimè loquendo actum esse de lege naturæ, quæ præceptiva est, ut fatetur Vazquez, ac esse præceptum lege naturæ.

38. Aliter ergo objectioni respondendum est, distinguendo scilicet Antecedens: Opera virtutum quæ cadunt sub consilio, & dicuntur supererogationis, non sunt de lege naturæ: in propriis speciebus considerata, concedo Antecedens. In quantum sunt virtuosa, nego Antecedens, & Consequentiam. Solutio patet ex dictis in secunda conclusione, in qua cum S. Doctore ostendimus, quod licet omnes actus virtutum in propriis speciebus considerati, non sint de lege naturæ, quia ad illos sic spectatos natura rationalis non inclinatur, si tamen considerentur ut virtuosissimi, sunt

Tom. III.

A de lege naturæ, quia ratio naturalis dicitur esse studiosè seu virtuosè agendum. Quod ut magis declaratur,

Observandum est, dupliciter posse intelligi, quod ratio naturalis dicitur virtuosè agere etiam in operibus virtutum quæ cadunt sub consilio, & supererogationis dicuntur: Primò taliter ut præcipiat facere illos in quantum virtuosissimi sunt: Secundò taliter ut præcipiat quod si sunt, virtuosè fiant. Primum non dicitur ratio naturalis in illis, sed tantùm in actibus præceptis jure naturali. Secundum verò dicitur tam in illis quàm in omnibus precedentibus ab homine ut homo est, dicitur enim ratio naturalis, quod si homo operetur ut homo, secundùm formam hominis operetur, & conformiter ad rationem, quod est virtuosè operari. Intantum igitur dicimus, actus supererogationis & consilii, prout sunt virtuosissimi, esse de lege naturæ, in quantum lex naturalis dicitur, quod si sunt ab homine, virtuosè & conformiter ad rectam rationem fieri debent.

Ad confirmationem nego sequelam Majoris, & ad illius probationem dico quod lex naturalis inclinatur ad hujusmodi opera, ut virtuosa sunt, modo explicato, per actum præcepti, est enim lex præceptiva: prout sic autem non cadunt sub consilio, sed tantùm prout in suis speciebus considerantur.

C Objicies tertio: Non omnia peccata sunt contra legem naturæ: Ergo neque omnes actus virtutum etiam naturalium ad legem naturæ pertinent.

Respondeo distinguendo Antecedens: Non sunt contra naturam animalem, seu omnibus animalibus communem, eo modo quo concubitus masculorum dicitur esse contra naturam, concedo. Non sunt contra naturam, id est contra rationem, quæ est natura hominis, nego. Quod ut magis explicetur,

Observandum est ex D. Thoma hic art. 2. in natura hominis plures distingui gradus, entis, animalis, & rationalis. Si spectetur juxta gradum entis, seipsum interficere dicitur peccatum contra naturam, quia quisque quatenus est ens, seipsum conservare tenetur, juxta illud Tullij cap. 1. Offic. *Principio generi animantium omni est à natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueatur.* Si juxta gradum animalis, peccata nefanda carnis, ut sodomia, bestialitas, & mollities, dicuntur contra naturam, quia contra inclinationem naturalem omnibus animalibus insitam pugnant. Si secundùm gradum rationis, quælibet peccata dicuntur contra naturam hominis pugnare, quia contrariantur rationi, quæ est natura hominis, ut in Tractatu de peccatis fusè declaramus. Nihilominus per antonomasiam, duo priora genera peccatorum pugnare contra naturam dicuntur, quia nefandissimum est committere id, à quo bruta ipsa, nec non entia omnia abhorrent.

Quærit D. Thomas hic art. 4. utrum lex naturæ sit una apud omnes? Respondetque illam esse unam apud omnes & secundùm rectitudinem & secundùm notitiam, quoad sua principia communia, quia quoad illa principia sic se habet ratio practica sicut speculativa, quæ procedit ex principiis, quæ sunt eadem apud omnes, & secundùm veritatem, & secundùm notitiam. Quantum verò ad quædam principia propria ex communibus deducta, docet non esse eandem apud omnes, nec quoad rectitudinem, nec quoad notitiam, quia quantum ad hoc aliter philosophandum est de ratione spe-

X x x

culativa & de ratione practica; ratio enim speculativa versatur circa principia propria, quæ sunt necessaria, & impossibile est aliter esse, unde absque aliquo defectu invenitur veritas in conclusionibus ex illis deductis; ratio verò practica versatur circa contingentia, nimirum circa operationes humanas, quas aliquando contingit impediri: unde lex naturalis; quantum ad hæc principia particularia, non est eadem apud omnes quantum ad rectitudinem & notitiam, sed solum ut in pluribus.

Ad majorem hujus doctrinæ explicationem, quærent hic aliqui, an dari possit ignorantia invincibilis, & excusans à peccato, eorum quæ sunt de lege naturæ. Verùm de hoc sufficienter egimus in dissertatione de probabilitate, art. 7. §. 3. in responsione ad quintam objectionem. Unde ad hunc locum lectorem remittimus, ne eadem hic inutiliter repetamus.

ARTICVLVS III.

Virum lex naturæ pati possit mutationem, dispensationem, abrogationem, vel derogationem. & interpretationem, vel epixiam?

§. I.

Quibusdam præmissis, statuuntur quatuor conclusiones, quibus resolvuntur difficultates propositæ.

44. **N**otandum primò, duplicem posse dari vel concipi mutationem legis; unam propriè dictam, quando lex ipsa mutatur in se, vel quia desinit in se, ut quando ad tempus lata est, quo finito cessat, vel cum de justa fit injusta, vel quia abrogatur à superiore, vel quia restringitur per dispensationem; aliam impropiam & largè sumptam, quando nimirum fit mutatio ex parte materiæ legis, per quam ipsa desinit esse materia legis, & subjacere ejus obligationi: quæ mutatio maximè locum habet in his quæ pendent ab humano consensu & voluntate mutabili, ut in votis, juramentis, matrimoniis, & similibus.

45. Notandum secundò, dispensationem legis differre ab irritatione, abrogatione, derogatione, & interpretatione ejusdem, quòd dispensatio fit quando quis in aliquo casu ab obligatione legis eximitur, aliis ad legem ipsam manentibus obligatis; exempli gratià, infirmus dispensatur à lege jejuniij propter suam infirmitatem, aliis qui sani sunt eà lege obstrictis; irritatio, quando obligatio legis aboletur & aufertur ab aliquo, antequam per eam perfectè obligetur, ut quando vota filiorum impuberum irritantur à parentibus; cum enim nondum annos pubertatis attingerint, nondum perfectè per hujusmodi vota obligantur, ideòque locus est ea à parentibus irritandi. Abrogatio est, quando lex absolute tollitur, seu aboletur, sive per contrariam legem & consuetudinem, sive per desertudinem, ut lex Apostolorum de abstinendo à sanguine & suffocato, quæ jamdudum desit, nec amplius obligat. Interpretatio verò, quando declaratur legem in aliquo casu minimè obligare; sicque communiter dicitur ad dispensationem legis opus esse potestate & jurisdictione; ad interpretationem verò & declarationem, scientià & prudentià.

A Notandum tertio, epixiam ex Philosopho 7. Ethic. 10. esse *legis emendationem, ubi deficit propter universale*. Cum enim lex debeat esse universalis, & legislator singulos casus prævidere non possit, contingit ut in aliquo erret, & tunc utimur epixià, per præsumptam voluntatem legislatoris contra verba legis, eò quòd, si ille adesset, in tali casu non obligaret. Verùm, ut rectè observat Cajetanus 2. 2. quaest. 120. art. 1. duobus modis potest lex deficere in aliquo particulari, negativè scilicet & contrariè. Deficit negativè, quando ita deficit, ut si servetur, nihil mali sequatur: contrariè, quando injustum est illam servare. In secundo tantum casu locum habet epixia, in primo, servanda est lex cum semper præstet custodia legis, quando nihil mali ex ea sequitur. His præmissis, pro resolutione primæ difficultatis in titulo propositæ,

Dico primò, legem naturalem non posse pati mutationem impropiam, seu ex parte materiæ.

Prima pars, quæ est D. Thomæ hic art. 5. facile potest suaderi ex dictis in primo notabili: Nam, ut ibi dicebamus, tunc mutatio legis propriè dicta contingit, quando lex ipsa mutatur in se, vel quia desinit in se, ut quando ad tempus lata est, vel cum de justa fit injusta, vel quia abrogatur à superiori, vel ab illo per dispensationem restringitur; At nullo ex his modis lex naturæ mutationem pati potest, non enim potest per seipsam desinere, quia non est lata ad tempus, sed sine termino. Neque potest de justa fieri injusta, cum nihil præcipiat, quod non sit intrinsecè & ex natura rei bonum; nihil prohibeat, quod non sit intrinsecè & ex natura rei malum; neque enim bonum aut malum facit, sed ostendit. Non potest etiam à Deo abrogari, vel per dispensationem restringi, ut ex infra dicendis constat: Ergo mutationem propriè dictam pati nequit.

C Quod verò mutatio impropiæ, & ex parte materiæ, in eam cadere possit, manifestum est; materia enim circa quam lex naturæ versatur, non semper eodem modo se habet, sed interdum variatur, propter aliquas circumstantias occurrentes; unde fit ut illud quod erat de lege naturæ, postea non sit de lege naturæ: v. g. de lege naturæ est, quod depositum sit reddendum, quando res in deposito constituta non petitur in damnum alicujus; sed quia potest contingere quòd petatur in alicujus perniciem, tunc mutatur materia legis depositi, ratione cujus lex ipsa de reddendo deposito impropiè mutatur; nam antea distabat depositum esse reddendum, quando scilicet non considerabatur hæc circumstantia; modò verò contrarium dicitur, ratione talis circumstantiæ. Propterea tamen ratio formalis talis legis non variatur, quia hæc formaliter loquendo non fertur in rem absolute consideratam, sine debitis circumstantiis, sed ut stat sub illis; dicitur enim depositum esse reddendum, non utcumque, sed dum non petitur in perniciem alicujus, & non aliter: hoc autem nunquam variatur, nec variari potest, est enim intrinsecè bonum, sicut colere Deum, & honorare parentes.

D Notandum tamen est, quod licet hæc variatio ratione materiæ inveniat in aliquibus præceptis legis naturæ, non tamen in omnibus; sunt enim aliqua, quæ nec ratione materiæ mutari possunt, cum materia illorum per se requisita, sit omnino invariabilis, ut patet in præcepto de non mentiendo; mendacium enim adeò intrinsecè malum est, quòd nullà causà, ratione, aut sine

honestari possit, quod non contingit in redditione depositi.

30. Dico secundo, nullam potestatem, neque humanam, neque divinam, posse dispensare proprie in lege naturali, relaxando obligationem, immutatam materiam precepti; bene tamen improprie, mutando materiam ex qua proxime legis obligatio oriebatur. Ita communiter docent Theologi, paucis exceptis, qui existimant Deum in omnibus, vel saltem in aliquibus Decalogi preceptis, dispensare posse. Pro qua sententia referuntur D. Bonaventura, Scotus, Gabriel, Ocham, Durandus, & alij ex antiquioribus Theologis.

31. Probatur prima pars ratione fundamentali: Dupl. tantum intelligi potest, quod fiat dispensatio in lege naturæ, primo, manente illicito, ac inhonesto, & naturæ rationali dissono actu in quo dispensatur, mendacio v. g. vel adulterio; secundo, ita quod per dispensationem actus definet esse illicitus, & inhonestus, atque naturæ rationali dissonus: Sed neutro modo fieri potest dispensatio in lege naturæ: Ergo repugnat, ullam potestatem, humanam, vel divinam, proprie & directe dispensare in lege naturæ. Major patet, Minor etiam quoad primam partem videtur manifesta; si enim Deus ita in lege naturali dispensaret, ut homo eliceret aliquem actum, qui non obstante dispensatione maneret illicitus, inhonestus, & naturæ rationali dissonus, dispensaret illum, ut peccaret, & actum intrinsicè malum eliceret, quod infinitè ejus sanctitati repugnat. Probatur verò quantum ad secundam partem, quia precepta negativa legis naturalis prohibent tantum actiones per se, intrinsicè, & ex natura sua malas, & dissentaneas naturæ rationali, ut mentiri, furari, adulterium committere, falsum testimonium proferre, &c. Sed bonitas aut malitia intrinsicè actus, non pendet ab extrinseca voluntate Dei; sed ex intrinsicè natura objecti, suis omnibus circumstantiis affecti: Ergo sicut Deus efficere non potest, ut quod est ex se tale, manens invariatum quoad omnia, non sit tale, ita nec efficere poterit per dispensationem, ut actus lege naturæ prohibitus, & naturæ rationali dissonus, manens invariatus quoad omnia, non sit inhonestus & moraliter malus, non minus quam implicat, ut calor, invariatus quoad suam entitatem, fiat connaturalis aquæ.

Quod diximus de preceptis negativis legis naturæ, idem cum proportionem dicendum est de affirmativis, precepta enim affirmativa legis naturalis, obligant tantum in illis occasionibus, in quibus ommissio actus precepti esset intrinsicè & per se mala: Ergo hæc ommissio non potest non esse mala, & fieri nequit ut per dispensationem admittatur illi malitia, ita ut actus illi ommissioni oppositus, non sit adhuc moraliter necessarius.

32. Potest insuper eadem pars suaderi ratione quam insinuat S. Thomas infra quæst. 100. art. 8. Precepta quæ continent ipsum ordinem ad bonum commune, vel ipsum ordinem justitiæ & virtutis, indispensabilia sunt: Sed precepta Decalogi, quæ, ut articulo precedenti ostendimus, pertinent ad legem naturalem, continent ipsum ordinem ad bonum commune, ipsumque ordinem justitiæ: Ergo in eis non potest fieri proprie dispensatio. Minor est certa, precepta enim primæ tabulæ, quæ ordinant ad Deum, continent ipsum ordinem ad bonum commune & finale,

Tom. III:

A quod est Deus. Precepta autem secundæ tabulæ, continent ordinem justitiæ inter homines observandæ, ut scilicet nulli fiat indebitum, & cuique reddatur debitum. Major verò à D. Thoma sic probatur: Si ponerentur hujusmodi precepta in aliqua communitate, quod nullus destrueret Rempubicam, neque proderet civitatem hostibus, aut quod nulli fiat indebitum, proculdubio essent omnino indispensabilia, quia nimirum ipsum ordinem ad bonum commune, ipsumque ordinem justitiæ continerent: Ergo precepta quæ continent ipsum ordinem ad bonum commune, vel ipsum ordinem justitiæ, indispensabilia sunt.

B Secunda verò pars conclusionis, quæ asserit, Deum in preceptis naturalibus improprie dispensare posse, mutando materiam ex qua legis obligatio oriebatur, docetur ibidem à D. Thoma in resp. ad 3. & 2. 2. quæst. 1. 4. art. 2. ad 2. constatque ex dicendis in solutione tertie objectionis. Et in hoc sensu loquuntur plerique Authores, cum dicunt Deum dispensare posse in preceptis naturalibus, scilicet non relaxando obligationem, immutatam materiam precepti, sed mutando materiam, vel aliquam circumstantiam, ex qua proxime oriebatur obligatio legis. In eodem sensu intelligendum est & explicandum quod scribit D. Bernardus lib. de precepto & dispensat.

C non longè ab initio, ubi sic ait: *Necessarium deinde, quod inviolabile nominavi illud, intelligo, quod non ab homine traditum, sed divinitus promulgatum, nisi à Deo qui tradidit, mutari omnino non patitur, ut exempli causa, non occides, non moechaberis, non furum facies, & reliqua illius tabulæ legis scita, quæ est nullam prorsus humanam dispensationem admittant, nec cuiquam hominum ex his aliquo modo solvere aut licenti aut licere; Dominus tamen horum, quod voluit, & quando voluit, solvit; sive cum ab Hebræis Egyptios spoliari, sive quando Prophetam cum muliere fornicaria misceri voluit.* De quo fuit in solutione tertie objectionis.

D Dico tertio, lex naturalis nunquam potest abrogari, nec illi unquam derogari.

Patet hæc conclusio, tum quia obligatio legis naturalis oritur ex ipsa rerum natura, quæ mutari non potest, tum etiam, quia lumen naturæ, seu synderesis, à qua lex creaturæ procedit, non potest in homine totaliter extinguere, vel aboleri: Ergo neque lex ipsa naturæ abrogari. Unde Augustinus lib. 2. Confess. cap. 5. *Lex tua Domine (per quam intelligit naturalem) scripta est in corde nostro, quam nulla unquam delet iniquitas.* Et Tullius apud Lactantium lib. 1. de Divin. Instit. cap. 8. *Hinc legi (nempe naturali) nec prægari fas est, nec derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest: nec verò aut per senatū, aut per populum hæc lege liberari possumus.* Per nullam ergo consuetudinē aut defuetudinē legi naturali derogatur, quippe cum consuetudines illi contrariæ debeant dici potius corruptelæ, quam consuetudines: quo sensu dicebat Augustinus, Christum, cum venit in mundum, non dixisse, *Ego sum consuetudo, sed ego sum veritas*; ex quo præclare infert, consuetudinem contra veritatem inductam, qualis est ea quæ contra jus naturæ pugnat, esse vetustatem erroris. Unde Codice *Cum tanto*, de consuetudine, dicitur quod consuetudo nunquam præscribit contra jus naturale, nimirum, quia jus naturale prævalet positivo humano.

E

532

XX x ij

55. Dico quartò, simplex interpretatio locum habere potest in lege naturali, non tamen epiixia.

Prima pars patet, cum enim omnia legis naturæ præcepta, non sint æquè nota, & æquè intellectu facilia, quædam ex illis aliqua interpretatione indigent, ad hoc ut verus eorum sensus haberi possit. Exempli gratiâ lex naturalis quæ jubet servare secretum, eger aliquâ interpretatione, cum illa non obliget in omnicaſu, in eo scilicet in quo custodia secreti noceret Reipublicæ. Similiter in lege naturali prohibente homicidium, explicandum est id non intelligi de occidente cum moderamine inculpatæ tutelæ, vel alia iusta de causa. Et in lege naturali præcipiente restitui alienum, intelligendum est, si fieri possit sine periculo vitæ, vel famæ, quæ majus bonum est; vel sine damno domini, vel alterius; puta si furiosus enfem suum repetat, ad occidendum, vel prodigus pecuniam, ad profundendum.

56. Secunda verò pars probatur breviter contra Cajetanum, Sorum, Navarrum, Covarruviam, & alios, existimantes epiixiam in lege naturali locum habere posse. Epiixia enim, ut supra dicebamus, est legis emendatio ex ea parte quæ deficit propter universale: Sed lex naturæ, neque emendabilis est, neque deficere potest propter universale: Ergo epiixia in eam cadere nequit. Major constat ex dictis in tertio notabili, Minor etiam quoad primam partem manifesta est: cum enim lex naturæ in recta ratione sita sit, deficere non potest. Probatur verò quoad secundam: Quidquid enim præcipit lex naturalis, aut prohibet, non præcipit aut prohibet universaliter, si qui sint casus excipiendi, sed in iis solum casibus, in quibus actus præceptus est necessarius ex natura rei, & actus prohibitus est malus, ac necessario fugiendus. Quare lex naturalis se habet ut lex scripta, quæ omnes casus excipere, quæque idcirco non egeret emendatione epiixiæ. Quod licet non fiat in legibus positivis & scriptis, quæ alioqui in immensum crescerent; fit tamen in lege naturali purè & integrè sumpta, quæ est divina voluntas & ordinatio, denunciata per lumen naturale, de iis omnibus quæ ex natura rei sunt agenda vel non agenda, licita vel illicita &c.

57. Confirmatur: Epiixia est interpretatio mentis legislatoris, quando expressa ab eo haberi non potest; unde si præsens ipse mentem suam explicet, talis mentis expressio à legislatore facta, epiixia non est: At in lege naturali non est opus hac interpretatione, cum ipsa legislatrix ratio, quæ legem tulit, & dictavit, v. g. depositum esse restituendum, dicet illud non esse restituendum, dum petitur in damnum alicujus.

§. II.

Solvuntur objectiones.

58. **O**bjicies primò contra primam conclusionem, homines in multis mutasse legem seu jus naturale, eique derogasse; nam v. g. jure naturali omnia erant communia, & omnes erant liberi, & tamen hominum voluntate introducta est bonorum divisio & proprietas, & aliqui facti sunt servi: Ergo lex naturalis potest pati mutationem.

59. Confirmatur ex Glossa in cap. 17. Ecclesiastici, ubi ait legem naturæ aliquando emendari & corrigi per legem scriptam: Sed hæc correctio veram

A & essentialem mutationem illius arguit: Ergo &c.

Ad objectionem respondeo primò cum D. Thoma hic art. 4. ad 3. communitatem bonorum, sicut & libertatem hominum, non esse de jure naturæ positivè, cum per jus naturale non præscribatur, sed negativè tantum, quia divisionem bonorum aut servitutem non præcipit; quo sensu dicitur homo esse nudus naturaliter, non quòd natura ei præceperit nuditatem, sed quia eum absque vestibus reliquit.

Respondeo secundò, quòd licet omnia bona naturaliter sint communia, & homines omnes naturaliter liberi, & sui ipsorum domini, mutatio tamen quæ illis advenit, per divisionem rerum, & servitutem jure gentium introductam, est tantum extrinseca, nec omnino id quòd de jure naturæ est infringit, cum non obstante illà rerum divisione & servitute, aliquando, videlicet in necessitate extrema, eadem rerum communitas, sicut & in crudelissima tyrannide, libertas hominum redeat, & servitus abrogetur; potest enim pauper extremâ inopiâ laborans, accipere id quòd sibi primum occurrit, ad subveniendum sibi, & ad conservandam vitam, quam aliàs certò perderet. Unde S. Thomas hic art. 5. ait jus naturæ solum mutari per additionem, non tamen per subtractionem, quasi ipsum jus penitus aboleatur & subtrahatur. Quare Gratianus dist. 5. cap. 1. *Naturale jus (inquit) inter omnia primum obtinet tempore & dignitate, capitur enim ab exordio rationalis creature, nec variatur tempore, sed immobilis semper permanet.* Et dist. 6. cap. 3. *Naturale jus ab exordio naturalis creature incipiens, ut supra dictum est, manet immobile.*

Ad confirmationem respondet D. Thomas art. citato in resp. ad 1. *quod lex scripta dicitur esse data ad correctionem legis naturalis, vel quia per legem scriptam suppletur est, quod legi naturæ deerat; vel quia lex naturæ in aliquorum cordibus, quantum ad aliqua corrupta erat intantum, ut existimarent esse bona que naturaliter sunt mala, & talis corruptio correctione indigebat.*

60. **O**bjicies secundò contra secundam conclusionem: Eodem modo se habet Deus ad legem naturalem, sicut Princeps ad positivam; non enim minus legis naturalis conditor est Deus, quàm creatus Princeps humanæ: Ergo non minus potest Deus in lege naturali dispensare, quàm creatus Princeps in positiva.

Confirmatur: Omnia præcepta naturalia in Decalogo contenta, non obligant nisi ex voluntate Dei, quæ potest ad ea non obligare: Ergo Deus in lege naturali dispensare potest.

Confirmatur amplius: Si Deus non posset in præceptis legis naturalis dispensare, necessario vellet aliquid extra se, nempe non occidere, non furari, non mentiri homines: Sed hoc dici nequit, nam alia à se Deus liberè vult: Ergo nec illud.

61. **O**bjicies tertio contra secundam conclusionem: Eodem modo se habet Deus ad legem naturalem, quo Princeps ad positivam; nam hic totam vim obligandi legi tribuit, solâ suâ voluntate, per extrinsecum imperium promulgatâ; Deus autem aliquam obligationem ex parte objecti supponit, quam tollere suâ voluntate non potest, cum sit essentialis objecto. Unde ad primam confirmationem, nego etiam Antecedens, ea enim quæ sunt legis naturalis, non obligant ex sola voluntate Dei, sed ex necessaria connexionione quam cum recto fine rationis habent.

Ad secundam respondet Conradus, quod *quamvis Deus nihil creatum necessario velit, quoad exercitium actus, tamen aliqua in quibus continetur ordo divinae iustitiae necessario vult quoad specificationem actus ex suppositione. Bene enim scio quod Deus non necessario creavit patrem & filium hominem, nec per consequens necessario dedit filio praecipuum de honoratione patris; sed tamen, si voluit esse patrem & filium, necessario voluit esse filium obligatum ad honorationem parentis &c.*

65. Obijciens tertio: Homicidium, furtum, fornicatio, poligamia, & dissolutio matrimonij, legi & juri naturali repugnant: At Deus in his omnibus dispensare potest, imò & de facto dispensavit; dispensavit enim cum Abraham, ut filium suum interficeret, & immolaret. Item cum Israelitis, ut Aegyptum spoliarent, & vasa aurea & argentea, quae commodatò ab Aegyptiis acceperant, secum abducerent, dispensavit. Jussit quoque Osee Prophetae, ut assumeret sibi mulierem fornicariam, & ex ea filios fornicationis susciperet. Demum dispensavit cum Judaeis, ut plures haberent uxores, eisque permisit uxores dimittere, per libellum repudij, & alias ducere, ut constat ex verbis illis Moysis Deuteronomio 24. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam in oculis ejus, propter aliquam foeditatem, scribeb libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudij, & dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino:* Ergo Deus dispensare potest, & de facto saepe in lege & jure naturae dispensavit.

66. Respondeo, concessa Majori, distinguendo Minorem: Deus in his omnibus dispensare potest, imò & de facto dispensavit, dispensatione improprie & largè sumpta, mutando scilicet materiam, ex qua proximè legis obligatio oriebatur, concedo Minorem. Dispensatione proprie & strictè accepta, prout dicit relaxationem obligationis, immutata materiâ praecipui, nego Minorem, & consequentiam; vel distinguendum est consequens, distinctione Minoris. Dicimus ergo Deum in praedictis casibus non dispensasse proprie in lege & jure naturae, sed improprie tantum mutando materiam, & eam per mutationem subtrahendo legi naturali. Nam in primo exemplo, tanquam supremus Dominus vitae & necis omnium, dedit jus Abrahæ in vitam innocentis, vel eo tanquam ministro & executore uti voluit. Lex autem naturalis non prohibet homicidium innocentis in tali casu.

In secundo, tanquam supremus Dominus bonorum omnium, habens in manu sua dominium creaturarum, transfudit dominium Aegyptiorum in Israelitas. Vel tanquam iudex supremus punivit Aegyptios hac poenâ, propter crudelitatem commissam in Israelitas, & usum sacrilegum vasorum illorum, quae ad idolorum cultum applicaverant, ut innuit Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 7. *Aegyptij (inquit) erant sacrilegi & iniqui, nam ex auro illo male utentes ad Creatoris injuriam, suis idolis serviebant, & homines peregrinos labore gravato in iustis ac vehementer affligebant.* Vel denique Israelitis reddidit mercedem laborum suorum, quâ fuerant fraudati ab Aegyptiis, ut loquitur scriptura *Sa-*
Tom. III.

67. A. Quas rationes recenset Philo in libro de vita Moysis, ubi ait spoliium illud Aegyptiorum, triplici titulo à peccato furti excusari, nimirum titulo laboris impensis, titulo injuriae illatae compensandae, & titulo iusti belli. *Primum (inquit) ut diuturni laboris necessariam mercedem reciperent. Deinde, ut pro acceptis tempore quo servierant injuriis, si non pro merito, aliquid tamen damni reponerent. Sive ut bello victores, victos spoliarent bonis, &c.*

In tertio casu Deus tanquam supremus dominus corporum, potens efficere per se, quod faciunt mas & femina per mutuum consensum legitimum quoad corporum traditionem, dedit hanc meretricem Osee in uxorem, antequam ad eam accederet, propter mysterium, quod eo facto tunc representabatur, quatenus scilicet ipse Deus debebat in sponsam assumere naturam humanam, quae per peccatum primorum parentum, & innumera alia, seipsam turpiter prostituera, & meretrici infami similem se reddiderat. *Sub omni quercu frondoso tu prosternebaris meretrix, tu fornicata es cum amatoribus alienis, verum tamen revertere.*

68. C. Alij tamen existimant, verum & legitimum consensum conjugalem inter Oseam & mulierem illam, ante copulam carnalem intercessisse, quia (inquiunt) consensus est causa formalis matrimonij, quae à Deo suppleri nequit. Nec obstat quod talis mulier semper appelletur fornicaria, ideò namque sic appellatur, non quòd tunc esset meretrix, sed quia antea fuerat talis, non enim est insolitum in Scriptura, res interdum retinere denominationem eorum quae antea erant. Eva enim post formationem suam appellata est ab Adam os, *Hoc nunc os ex ossibus meis*, quia ante formationem talis erat. Et serpens à Moysè ex virga ejus productus, non desinit adhuc appellari virga, ut patet ex his verbis Exodi 7. *Devoravit virga Aaron virgas eorum.* Item Eucharistia post consecrationem, non desinit aliquando adhuc appellari panis, quia antea panis erat. Eodem ergo modo haec mulier Osee appellatur fornicaria, quia ante suum cum Osea matrimonium talis erat. Filij verò ex tali matrimonio progenerati, propter matris opprobrium, vocantur filij fornicationum.

In quarto casu, qui duas continet partes, alteram de poligamia, alteram de dimissione uxoris, per libellum repudij, dicendum est, Deum tanquam naturae authorem, cui subjacent matrimonij jura, in ordine ad naturae propagationem & commune bonum totius speciei instituta, & tanquam supremum Dominum corporum, dominium corporis ab una in plures divisisse, quando plures simul habere uxores permisit; & irritasse prioris matrimonij vinculum, dum concessit Judaeis uxores dimittere, per libellum repudij. Unde in utroque casu fuit solùm mutatio materiae, non verò stricta legis naturalis dispensatio; quia lex naturalis nunquam obligavit, ut non fieret matrimonium unius cum pluribus, Deo sic disponente de jure & contractu matrimonij, & impediendo incommoda, quae suapte natura ex pluralitate uxorum sequi solent. Similiter lex naturae tantum prohibet repudium uxoris, quandiu matrimonium manet insolutum; soluto autem matrimonij vinculo, non vetat quod conjuges possint transire ad alias nuptias.

Obijciens quartò contra tertiam conclusionem: Per leges civiles derogatur juri naturali, ut con-

stat in legibus usucapionis, & prescriptionis, A quæ auferunt à vero domino quod suum est, à ludque transferunt in dominium usucapientis, cum tamen sit juris naturalis, ut nullus propriis bonis ab altero spoliatur: Ergo juri naturali per positivum derogari potest.

68. Respondeo, negando Antecedens, nam per leges usucapionis & prescriptionis, non derogatur propriè legi naturali præcipienti quod nullus propriis bonis ab altero spoliatur, sed solum fit mutatio materiæ legi antea subiectæ. Lex enim naturalis prohibet tantum ne retineatur alienum, domino rationabiliter invito: cum verò per leges usucapionis & prescriptionis transferatur dominium bonorum præscriptorum, dominus non est rationabiliter invitus; quia nimirum leges illæ institutæ sunt ad bonum commune tuendum & conservandum, ne scilicet rerum dominia diu incerta maneant, & ne lites interminabiles fiant, & supra numerum multiplicentur.

69. Objicies quintò contra secundam partem quartæ conclusionis: Præceptum negativum furti pertinet ad legem naturalem, cum ad eam omnia præcepta decalogi (excepto præcepto de sanctificatione sabbati) pertineant, ut articulo præcedenti ostensum est: Sed tale præceptum pati potest interpretationem per episcopiam, & dici non obligare in eo casu in quo aliquis à domino invito aliquid accipit in extrema necessitate: Ergo interpretatio per episcopiam locum habere potest in lege naturali.

70. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, cum enim quis declarat per legem illam non furaberis, non esse prohibitum accipere aliquid ab alio, ad vitam in extrema necessitate sustentandam, hæc declaratio non pertinet ad episcopiam, sed est simplex legis interpretatio; quia cum fit aliqua mutatio in objecto vel circumstantiis intrinsicis, propter quam actus definit esse malus, tunc propriè loquendo non est episcopiam, cum non versetur circa materiam à lege comprehensam, sed est declaratio materiæ legis.

§ III.

Corollarium præcedentis doctrinæ.

75. EX dictis colligitur, Deum propriè loquendo in nullo ex præceptis Decalogi dispensare posse, tum quia talia præcepta (ut supra ostendimus) ipsam intentionem legislatoris, scilicet Dei, continent; tum etiam quia id quod eis præcipitur est intrinsecè bonum, qualis est dilectio Dei, & quod per ipsa prohibetur est intrinsecè malum, ut perjurium. Si tamen sit sermo de dispensatione impropiè & latè, ut se extendit ad immutationem quæ cessat legis materia, aut lex ipsa, variatione circumstantiarum, & subtractione conditionis requisitæ, Deum dispensare posse in præceptis secundæ tabulæ, non tamen primæ, quia quæ sunt contra præcepta primæ tabulæ, cum sint contra Deum, ita habent conjunctam malitiam, ut nec variatione alicujus circumstantiæ mutari possit materia sufficiens peccati; fieri enim nequit, ut quod est contra Deum, non sit inordinatum, illicitum, & malum; unde odium Dei, aut cultus idoli, nullâ circumstantiâ, potest fieri bonè aut non malè: quæ verò sunt contra præcepta secundæ tabulæ, cum sint immediatè contra proximum, contra quem aliquid potest fieri licitè auctoritate divinâ, non ita habent con-

71. junctam malitiam, ut variatione alicujus circumstantiæ mutari non possit materia sufficiens peccati; si enim Deus facultatem alicui faciat occidendi hominem, illum absque peccato potest occidere.

Nec obstat adimpletionem voti pertinere ad præcepta primæ tabulæ, & in voto posse dispensari. Respondetur enim cum D. Thoma 2. 2. qu. 88. art. 10. ad 2. quod adimpletio voti, durante voti obligatione, est de lege naturali, & pertinet ad præcepta primæ tabulæ; per dispensationem autem voti, cessat ejus obligatio; sicque non relaxatur præceptum juris naturæ, nec in eo aliquo modo dispensatur; sicut nec quando dispensatur in lege humana, aliquo modo dispensatur in lege naturæ, & mandato divino, præcipiente, ut legi humanæ obediatur; quia per dispensationem fit, ut lex humana, ejusque obligatio cesset in hoc casu. Verba S. Doctoris sunt: *Sicut ex jure naturali, & præcepto divino, tenetur homo implere votum, ita etiam tenetur ex eisdem obedire superiorum legi vel mandato. Et tamen cum dispensatur in aliqua lege, non fit ut legi humana non obediatur, quod est contra legem naturæ, & mandatum divinum, sed fit, ut hoc quod erat lex non sit in hoc casu: ita etiam auctoritate superioris dispensantis fit, ut hoc quod continebatur sub voto, non contineatur, in quantum determinatur in hoc casu, hoc non esse congruam materiam voti. Et ideo cum Prelatus Ecclesie dispensat in voto, non dispensat in præcepto juris naturalis vel divini, sed determinat id quod cadebat sub obligatione deliberationis humane, que non potuit omnia circumspicere.*



DISPUTATIO IV.

De lege humana.

Ad questionem 95. D. Thomæ.

DUM leges humanæ à naturali ut rivuli à fonte deriventur, merito S. Doctor, postquam egit de lege naturali, statim differit de lege humana, circa quam plures ac celebres occurrunt difficultates & controversiæ, frequentibus articulis discutiendæ, & resolvendæ.

ARTICVLVS I.

An & quid sit lex humana, quibusve conditionibus & qualitatibus gaudeat?

76. Ico primò, præter legem naturalem & divinam, adhuc necessarias esse leges humanas. Ita D. Thomas hic art. 1. ubi legum humanarum necessitatem probat hoc discursu: Protervis & ad vitia pronis, qui verbis facile moveri non possunt, necessarium fuit, quod per vim & metum ab alio cohiberentur à malo, ut saltem sic malè facere desisterent, & aliis quietam vitam redderent, & ipsi tandem per hujusmodi assuetudinem ad hoc perducerentur, quod voluntariè facerent quod prius metu implebant, & sic fierent virtuosus: Sed hæc cohibitio cogens metu pœnæ, fit per disciplinam legum humanarum, juxta illud Isidori lib. 5. Etymolog. cap. 20. quod

affert S. Doctor in argumento sed contra: *Facta sunt leges, ut humano metu humana coerceretur audacia, itaque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refraneur nocendi facultas*: Ergo necessarium fuit, ad pacem hominum, & virtutem, aliquas leges poni ab hominibus. Id autem multò magis necessarium esse ex eo colligitur, quod in lege naturali nulla pœna decernitur; in divina verò, pœna in altero sæculo duntaxat subeunda præscribitur: hæc autem propter sui dilationem & invisibilitatem, non ita homines deterere solet, ac pœna, quæ per legem humanam statuitur, cum ipsa prærens sit & visibilis.

Præterea lex humana multùm conducit ad hoc ut lex divina à rudioribus intelligatur, quippe cum humanà lege interdum illa proponantur quæ sunt legis divinæ, & quæ eam explicant & elucidant. Multa etiam sunt ad humanam vitam conducunt, quæ tantùm ex lege divina & naturali probabiliter colliguntur (ut fures esse morte plectendos, illegitimos ad hereditatem non esse admittendos) quæ per legem humanam præscribuntur: opus ergo est dari leges aliquas humanas tam civiles quam Ecclesiasticas. Item necesse erat ut lex divina & naturalis, ad certum tempus & modum per legem humanam determinarentur, ut constet in præceptis Ecclesiasticis de jejuniis quadragesimali, de confessione annua, & communione Paschali, quæ tempus & modum divinorum præceptorum determinant. Demum si nullæ essent leges humanæ, adulteria, furta, homicidia, & qualibet alia scelera, quæ statim Rempublicam funditus everterent, impunè, grassarentur, juxta illud vulgatum Augustini: *Remota justitia (quæ per leges humanas potissimum statuitur) quid sunt regna, nisi magna latrocinia?* Unde merito dixit Aristoteles 3. Rhetoric. Reipublicæ salutem in legibus constitutam esse.

Dico secundò: Lex humana est ordinatio rationis humanæ ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet sufficienter promulgata. Vel dictamen rationis practicæ in Principe communitatem aliquam perfectam gubernante.

Patet bonitas hujus definitionis: nam per illam exactè explicantur genus & differentia legis humanæ; per ordinationem enim seu dictamen rationis ordinantis, explicatur ratio genericæ, in qua lex convenit cum consilio & simplici mandato. Dum autem subditur, *ad bonum commune*, excluditur privilegium, quod in bonum privatum alicujus particularis duntaxat conceditur, & dum subjungitur, *à superiore perfectam communitatem gubernante*, explicatur vis & efficacia coactiva legis, à superiore habente supremam potestatem jurisdictionis emanans, excluditurque per hanc particulam consilium; Tum quia non est à superiori, ut tali, cum possit esse ab æquali vel inferiori: Tum etiam, quia non habet efficaciam & vim cogentem. Similiter defectu hujus secundæ conditionis excluditur à ratione legis per eandem particulam simplex ordinatio vel mandatum prælati, aut alterius superioris, sine præcepto. Demum per hæc verba, *sufficienter promulgata*, explicatur conditio quædam intrinseca & per se requisita ad complendam virtutem legis, ut disp. 1. art. 4. fusè declaravimus.

Aliæ à Jurisperitis traduntur legis humanæ definitiones: Gratianus enim cap. *Lex* distinct. 2. ait quod *lex est constitutio populi, quæ majores*

A *natu simul cum plebibus aliquid sanxerunt*. Papinianus verò lege 1. ff. de legibus, sic eam describit: *Lex est commune præceptum, virorumque prudentum consilium, delictorum cohibitio, & communis Reipublicæ sponso*. Demum Rebuffus in præmio constitutionum regalium Glossa 1. num. 1. hanc tradit legis humanæ distinctionem: *Lex est commune bonum, sine quo nihil unquam boni fieri possit*. Verùm ea quam assignavimus, exactior est, meliùsque genus, & differentiam legis humanæ declarat.

Dico tertio, conditiones & qualitates legis humanæ, rectè describuntur ab Isidoro lib. 5. Etymol. cap. 21. & à Gratiano cap. *Erit autem lex*, dist. 4. his verbis: *Erit autem lex honesta, justa, possibilis secundum naturam, secundum consuetudinem patriæ, loco & tempori conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obsecritatem in captivum contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta*.

Probatum conclusio singulas legis humanæ conditiones seu qualitates explicando. In primis ergo lex debet esse honesta & justa, cum ordinetur ad componendos hominum mores, qui & honestate virtutis & justitiâ potissimum componuntur. Unde Cicero 1. de legibus, legem definit *virtutum emendatricem, commendatricemque virtutum*. Id etiam constat ex potestate ferendi leges, quæ vel divinæ est, vel à Deo manat aliquo modo, juxta illud Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt*: Atqui Deus, qui summè bonus est & rectus per essentiam, non potest suis legibus nisi justa & honesta statueret: Ergo nec alij, qui potestatem minorem & ab illo derivatam habent, datamque non in destructionem, sed in ædificationem, ut ait Apostolus 2. ad Corinth. 13. Unde Augustinus lib. 1. de libero arbit. cap. 5. *Mihilex esse non videtur, quæ justa non fuerit*.

Ad majorem hujus conditionis intelligentiam, observandum est, dupliciter intelligi posse, legem aliquam esse justam & honestam, nimirum vel quia id quod præcipit aut statuit est honestum antecedenter ad legem, vel saltem consequenter, quia licet sit de se indifferens, per legem refertur ad bonum finem, & in aliqua materia virtutis constituitur. Hoc secundum ad legem sufficit, possunt enim per leges aliqua statui, quæ erant antecedenter indifferentia, ut ferre certum genus armorum, aut vestium, abstinere à certo genere ciborum, & similia. Illudque est discrimen inter legem naturalem & positivam, sive humanam, quod lex naturalis nihil præcipit aut prohibet, nisi antecedenter honestum, aut turpe; leges verò positivæ multa præcipiunt aut prohibent antecedenter indifferentia, & non bona, nisi quia præcepta in ordine ad bonum finem, aut non mala, nisi quia prohibita.

Advertendum est etiam, aliquod reperiri discrimen inter has duas legis humanæ qualitates, seu inter has duas particulas *honestæ, & justæ*, lex enim eatenus honesta dicitur quatenus præcipit quod honestum est, & non malum; justa verò, quia debet æqualiter & sine exceptione omnes subditos comprehendere. Vel ut ait D. Thomas hîc art. 3. ly *honestæ* refertur ad hoc quod religioni congruat; ly verò *justæ*, ad hoc quod sit rationi conformis. Unde primâ qualitate carebat quâ 2. Machab. 6. Eleazarum, & cap. 7. septem fratres, unâ cum matre apprehensi, com-

pellabantur carnes porcinas manducare contra fas & religionem Iudæorum. Alterâ verò carebant leges eorum, de quibus dicitur Isaiæ 10. *Va qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt, ut opprimerent in iudicio pauperes.*

9. Secundò dicitur quod lex debet esse possibilis, quod non solum intelligitur de possibilitate physica, sed etiam de morali, nempe ut sit subditorum viribus temperata, quas non destruere sed juvare debet; unde regulariter loquendo non debet præcipere res multum arduas & difficiles, ac valde duras secundum hominis inclinationem & alias circumstantias. Lex enim humana talis debet esse quod dirigat multitudinem cui imponitur ad bonum commune: Sed lex humana quæ præciperet aliquid valde durum & difficile, non dirigeret hoc modo, quia potius tali lege multitudo perturbaretur; nec deserviret directioni & compositioni morum illius, sed potius esset illi laqueus, cum vix à paucissimis observaretur, ob difficultatem rei præceptæ, & humanam fragilitatem: Ergo non esset vera lex. Adde quod potestas humana ferendi leges, non est suprema, sed fragilitati humanæ accommodata, & ad regendum politicè subditos ut cives, non ut mancipia.

Dixi regulariter loquendo, quia scilicet quando urget necessitas boni communis, pro ejus conservatione tenemur difficillimas leges servare, cuiusmodi est lex de exponenda propria vita pro pace & concordia totius regni; nam sicut lex naturalis dicitur, exponendum esse membrum pro conservatione totius suppositi, ita lex humana à naturali derivata, iuste præcipere potest, pro conservatione totius corporis Reipublicæ, exponere membra civium. Verum etiam talis lex non debet censei valde difficilis, quia licet absolute loquendo difficilis sit, attentâ inclinatione hominis secundum se consideratâ, nihilominus hæc & nunc cum istis circumstantiis difficilis censei non debet, cum sit conforme inclinationi naturali, bonum commune maximum, proprio anteponei, etiam maximo, quia sine conservatione boni communis proprium conservari nequit; unde semper stat, quod lex humana debet esse de possibili moraliter.

Ex his colligitur, quod si Prælati tot leges aut præcepta imponat subditis, ut sit valde durum ea implere, subditos ab illorum observatione excusari. Quare Prælati à multitudine præceptorum cavere debent, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 105. art. 1. ad 3. Unde in prologo constitutionum Ordinis nostri sic dicitur: *Porro Prælati omnes à multitudine præceptorum, & ordinationum abstinere, ne laqueum animabus subditorum injiciant.* Et Soto lib. 1. de Iustitia quæst. 5. art. 3. hæc scribit: *Id maxime legiferi deberent considerare, ne multitudine subditos obruerent, sed illis tantum essent contenti, quæ sunt penitus necessaria, nam ipsa multitudo fit statim impossibilis. Unde illico efficiuntur veluti aranearum tela, quibus muscæ arcentur, non leones. Legum, inquam, immodica turba hoc solum præstat, ut boni & mites, qui legibus non indigent, circumsepti vivant: perveraces autem & indomiti leges plures habeant, quas pessudent ad suas explendas libidines.* Hanc legum multitudinem reprehendunt etiam Seneca Epist. 94. Innocentius III. cap. ubi periculum in sexto, & D. Augustinus Epist. 119. cap. 19. circa finem, maxime in regimine Ecclesiastico.

A Tertiò additur, secundum consuetudinem patriæ: *Non enim* (inquit S. Thomas) *potest homo solus in societate vivere, aliorum morem non gerens.* Propter quod ubi est mos ne virgines e domo exeant, quo usque marito copulerentur, aut viduæ toto mense vel anno luctus, aut puerperæ diebus purificationis, à præcepto audiendi sacrum excusantur.

Quartò subditur, loco & tempori conveniens, quia debitas circumstantias habere debet. Unde videmus (inquit Augustinus) *aliud jam dudum licuisse, & post horam non licere; quiddam in illo angulo permitti, aut juberi, quod in isto jure veteretur & vindicetur.*

B Quintò lex debet esse necessaria, ad remotionem scilicet malorum; si enim in Republica rectè omnia consent, supervacanea videtur lex.

Sextò debet esse utilis, nam si nullam afferat communi bono utilitatem, erit frustranea & inanis, subindeque inefficax ad obligandum, cum omnis lex essentialiter ordinetur ad bonum commune conservandum & promovendum. Verum iudicium hoc de utilitate legis non est penes subditos, sed penes superiorem; unde semper lex est servanda, quando evidenter non constat de ipsius inutilitate.

Septimò debet esse manifesta, id est clavis perspicuisque concepta verbis, ut ab omnibus intelligi possit; nisi enim talis sit, nihil aliud quam captionem & laqueum continebit. Unde Justinianus C. de legibus: *Leges (inquit) sacratissima ab omnibus intelligi debent, ut uni versis præscripto earum manifestius intellecto, prohibita declinent, & faciani præscripta.*

Demum dicitur, legem nulli privato commo- do, sed pro communi utilitate civium esse conscriptam, quia ad bonum commune lex ordinari debet, ut disp. 1. art. 3. ostensum est; soletque ut tenacius & firmitus memoriæ subditorum infigatur, scriptis mandari, licet hoc non sit de essentia legis, sed aliquid ipsi merè accidentale, ut docet Aristoteles 10. Ethic. cap. ultimo dicens: *Scripta ne sint, an non scripta leges, interesse nihil videtur.* De quo fusiùs disp. 1. art. 4. §. 3.

ARTICVLVS II.

Qualem promulgationem requirat lex humana, ut obliget?

V Azquez hic disp. 156. cap. 2. & Lorca 15 disp. 18 existimant, omnes leges tam Pontificias quam civiles esse sufficienter promulgatas, si in sola curia Regis aut Pontificis publicentur. Medina verò supra quæst. 90. art. 4. & Molina Tract. 2. de iustitia & jure disp. 295. censent non sufficere promulgationem in curia Regis aut Pontificis, sed esse necessariam aliam magis specialem in insignioribus locis regni, si lex est civilis, & in singulis dioccesibus, si leges fuerint Pontificiæ. Alij verò asserunt, leges Pontificias sufficienter promulgari in sola curia Romana, civiles verò non esse sufficienter promulgatas, nisi in singulis provinciis, & præcipuis regni civitatibus publicentur. Ita Sylvester verbo *Lex* quæst. 6. Joannes Andræus & Panormitanus, in cap. 1. *Noverrint* de sent. excomm. Quos sequuntur Valentia Suarez, Azorius, & alij. Pro resolutione Notandum est, diversum iudicium ferendum esse de promulgatione requisita & sufficienti ex natura

natura rei, & de requisita ac sufficienti jure positivo. Nam ad promulgationem requisitam & sufficientem ex natura rei, sufficit & requiritur quod lex taliter publicetur, quod de facili possit venire in notitiam subditorum; in particulari autem nullus modus determinatus est à natura ad sufficientem promulgationem, sed quilibet determinatus qui in hoc intervenit, vel ex consuetudine, vel ex lege, vel ex legislatoris voluntate habetur. Ad promulgationem verò requisitam ex jure positivo, talis requiritur publicatio legis, qualis jure ipso & legislatoris voluntate præscribitur, licet attentà rei naturà, ea non requiratur, sed alia sufficiat. Hoc præmissò, facillè poterunt conciliari prædictæ sententiæ, & difficultas proposita resolvi.

17. Dico ergo primò, stando in solo jure naturali, ut lex tam civilis quàm Pontificia censeatur sufficienter promulgata, sufficit quod publicetur in curia. Ratio est, quia ad promulgationem sufficientem ex natura rei, sufficit quod lex taliter publicetur, quod possit de facili venire in notitiam subditorum, ut supra dicebamus: Sed promulgatione factà in curia, lex in notitiam subditorum facillè devenire potest; nam cum ad Principis sedem frequens sit recursus & concursus ex civitatibus omnibus quæ ejus imperio subsunt, facillè est quod in curia agitur, in omnium notitiam venire: Ergo ad promulgationem legis sufficientem ex natura rei, sufficit quod promulgetur in curia.

Dico secundò, attento jure positivo civili, leges imperiales non obligant provincias, nisi in earum metropoli promulgentur: imò non valent neque obligant in provincia, nisi post duos menses à promulgatione ibi facta.

18. Probatur prima pars ex Authentica, *Vi facta nova constitutiones*, quæ est constitutio 66. inter Novellas Justiniani, ubi decernitur, constitutiones novas non valere, usquedum per metropolitam palam factæ sint, id est usque dum publicentur in civitatibus metropolitans. Ubi licet Imperator loquatur de legibus testamentorum, Glossa tamen ad omnes leges extendit, & hanc regulam Jurisperitorum affert: Quotiescunque verba rubricæ faciunt perfectum sensum, & non repugnant corpori legis, nigris litteris exarato, & sub rubris contento, rubrica habenda est pro textu: cum igitur rubrica illius authenticæ loquatur universaliter de omnibus legibus, constitutio illa Justiniani, tametsi loquatur solum de legibus testamentorum, ad omnes tamen leges extendenda est, subindeque nullæ leges imperiales obligant provincias, nisi in earum metropoli promulgentur.

19. Ex quo probata manet secunda pars, nam Authentica illa decernit quod leges non obligent in provincia, nisi post duos menses à promulgatione earum, ut patet ex rubrica, quæ est: *Vi facta nova constitutiones. post continuationem earum post duos menses valeant*. Idem constat ex bulla quadam Pij IV. super declaratione temporis observationis Concilij Tridentini, ubi sic ait: *Jure communi sancitum est, ut Constitutiones novæ non nisi post certum tempus vim obligandi obtineant*. His enim verbis alludit haud dubiè ad prædictam Authenticam, cum nullibi nisi in ea reperiat aliquod sancitum circa tempus quo novæ constitutiones vim obligandi habent.

Quod diximus de legibus imperialibus, dicendum est etiam de legibus latis à Principibus vel Regibus subiectis Imperatori; quia jus ferendi leges, quod habent ab Imperatore, fuit illis con-

Tom. III.

A cessum, secundum jus commune imperij, & juxta modum ac limitationem quam servant ipsi Imperatores.

Dico tertio, stando in jure positivo communi, & nisi sit constitutio vel consuetudo contraria, leges Principum qui imperio non subduntur, ut leges Regis Galliæ, & Regis Hispaniæ, non requirunt promulgationem, in singulis provinciis, nec duos menses post promulgationem, sed sufficit promulgatio quæ fit in curia Principis, id est in urbe in qua residet, ex qua ad alia loca divulgatur.

B Patet hæc conclusio, nam jure communi nihil aliud sancitum est quod arctius possit obligare, quàm prædicta Justiniani Authentica: Sed illa, cum sit imperatoria, non habet vim obligandi in terris Imperio non subditis: Ergo &c.

Dixi, si non est constitutio, vel consuetudo contraria, quia ferè ubique consuetudo est, aut lex regni, ut Reges qui plures habent provincias, curent suas leges in singulis provinciis promulgari, neque aliter eas obligent. Et in Gallia regiæ leges non obligant, nisi à Parliamentis recipiantur. Unde aliquæ leges servantur v. g. Parisiis, quæ non obligant Burdegalæ, vel Tolosæ.

C Dico quartò, stando etiam in jure positivo, ad sufficientem promulgationem legum Pontificiarum, non requiritur alia promulgatio, quàm quæ Romæ fit, nec spatium duorum mensium, ut leges illæ habeant vim obligandi.

D Probatur ex praxi & consuetudine curiæ Romanæ, quæ est optima legum interpres; nam qui Romæ non servant leges Pontificias, statim post promulgationem, nondum elapsis duobus mensibus, puniuntur, teste Navarro, Consil. 1. de constitutionibus quæst. 4. numero 18. & leges Pontificiæ solent tantum Romæ promulgari, secundum quas judicant Rotæ auditores, Cardinales, & alii Judices Pontificii, de causis aliarum provinciarum, licet in illis promulgatio facta non fuerit, sed simplex tantum divulgatio; nisi ex concessione, vel consuetudine, gaudeant eo privilegio, & leges Pontificiæ ibi non obligent, nisi ibidem promulgentur, aut etiam recipiantur; ut fit in regno Galliæ.

E Confirmatur ex illo receptissimo axiomate, *Papa habet pedes plumbeos, & non plumbeos*, quod idè verum esse asserunt Joannes Monachus, cap. In generali, de regulis juris in sexto, & Navarrus in dicta quæst. 4. num. 20. quia Papa neque solet, neque tenetur discurrere per singulas provincias, deferendo per illas promulgationem suarum legum, eò quod sit totius orbis unicus Pastor ac Vicarius Christi in rebus spiritualibus ad animæ salutem conducentibus; de cujus proinde decretis agnoscendis majorem curam debent habere fideles, quàm de legibus temporalibus, à Principibus secularibus editis.

Dices, Authentica supra citata vim habet quantum ad Pontificias leges: Ergo nisi illæ in singulis Diocæsibus aut provinciis publicentur, non censentur sufficienter promulgatæ. Consequentia patet, Antecedens probatur ex cap. 1. de novi operis renuntiatione, ubi sic dicitur: *Sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita sacrorum Canonum instituta, constitutionibus Principis adjuvantur*. Et cap. In adjutorium, dist. 10. Glossa sic habet: *Quando desunt Canones, tunc leges citari possunt*. Quibus locis decernitur in causis Ecclesiasticis servandum esse jus civile, quando non est contrarium juri Canonico: At,

Yyy

qui jus civile, quoad necessitatem promulgationis, non contrariatur juri Canonico, nullibi enim in jure Canonico prædicta Authentica Justiniani excluditur: Ergo illa vim habet non solum quoad leges imperiales, sed etiam quoad Pontificias.

24. Respondeo negando Antecedens, & ad probationem illius in primis dico, capitibus citatis solum decerni, ut in iudiciis causarum leges civiles serventur, ubi desunt Canonicae, nullam vero ibi de legum promulgatione fieri mentionem.

Secundo respondeo, prædictam Justiniani Authenticam, quantum ad hoc, non esse receptam, cum ex praxi Ecclesiae Romanae oppositam habeatur, ut ex supra dictis constat.

25. Ad pleniorum dictorum intelligentiam, & aliorum quæ in contrarium fieri solent argumentorum solutionem, notandum est primo, posse leges esse sufficienter promulgatas, & consequenter actualiter obligare omnes, & tamen multos excusari ab earum observatione, eo quod invincibiliter ignorent promulgationem earum; quia videlicet non stat per illos quominus leges & earum promulgationem cognoscant; ignorantia autem invincibilis excusatur a peccato, ut in dissertatione de probabilitate fusi ostendimus. Possunt tamen leges circa ignorantes habere aliquos effectus irritandi, vel statuendi aliquid per modum decreti, ut lex de spuriorum & bigamorum irregularitate, de gradibus consanguinitatis, & aliis impedimentis matrimonij.

26. Observandum est secundo, cum ad valorem legis humanae, vel decreti, necessarium sit, ut non fit in perniciem animarum, neque in detrimentum majoris boni simpliciter & communiter concessi, oportere ut decreta & statuta illa proponantur cum majori promulgatione, quæ si haberent effectum circa ignorantes, essent in animarum perniciem, aut contra bonum commune, aut contra reverentiam rerum divinarum. Tales sunt leges, quibus irritantur contractus, revocantur concessionibus & privilegia, reservantur casus, & similes. Nam si leges illæ, etiam per modum decreti, haberent effectum, antequam venirent in notitiam hominum, gravissima incommoda, vel temporalia, vel spiritualia sequerentur: nam contractus in damnum multorum essent irriti, matrimonia invalida consummarentur, absolutiones multæ essent nullæ, aut indirectæ tantum circa ejusmodi casus reservados, cum obligatione illos iterum subjiciendi sacramento penitentiae. Unde hujusmodi leges, etiam per modum decreti, non possunt esse validæ, nisi per debitam insinuationem. Ideoque Tridentinum sess. 24. in decreto de reformatione matrimonij cap. 1. constituit ut decretum de matrimonij clandestinis, post triginta dies tantum a prima publicatione in unaquaque parochia robur haberet. Multæ etiam Constitutiones Apostolicæ, ob eandem causam, limitantur ad eos qui scienter contra illas egerint.

27. Idem dicendum de revocatione cujuscunque privilegij, eam scilicet non valere, donec innotescat privilegiato eo utenti; unde eo uti potest quousque ei hujusmodi revocatio intimetur. Cujus ratio est, quia juxta communem regulam, *odia restringi, favores convenit ampliari*, unde Principes nimis rigidos judicare non decet: At nimis rigidum esset, spoliare privilegium suo privilegio, ante notitiam revocationis illius, sufficienterque protrigore privare eum post notitiam revocatio-

nis, ut patet: Ergo existimandum est, Principem velle privare privilegium suo privilegio, donec illi sui privilegij revocatio innotescat.

Confirmatur: Dum privilegium non innotescit privilegiato, illi non prodest, ut Panormitanus, Felinus, & alij Canonistæ passim docent: Ergo similiter revocatio privilegij illi non obest, donec venerit in ejus notitiam, alias magis extendetur rigor juris, quam ejus favor, contra prædictam regulam.

ARTICULVS III.

B *An ut lex humana obliget, requiratur consensus sive acceptatio populi?*

28. **Q**uestio est de lege justa, & legitime promulgata, & lata à Legislatore, qui vel à Deo, vel aliunde, habet absolutam potestatem condendi leges; si enim Legislator accepit potestatem condendi leges, cum dependentia à populi acceptatione; puta si populus ita eam alicui contulit, ut liberam sibi facultatem reservaverit acceptandi vel reprobandi leges ab ipso propositas, certum & indubitatum est, requiri populi consensum & acceptationem, ut tales leges vim habeant obligandi. Hoc præmissis, pro resolutione difficultatis propositæ, fit

§. I.

Conclusio negativa statuitur.

Dico breviter, ad hoc ut lex humana obliget, non requiri consensum sive acceptationem populi, sed eam, si justa sit, & legitime promulgata, obligare subditos, etiam dissentientes & repugnantes. Hanc tenent communiter Doctores, licet Major, Navarrus, Armilla, & Covarruvias, quos ex Recentioribus sequuntur Valentia, Azorius, & Beccanius, illi dissentiant.

29. **P**robatur primo quoad leges civiles ex Authentica, *Prænova Constitutiones*, ubi post publicationem legis, & lapsum temporis designati, præcisè exigitur observantia legis, neque ulla de acceptatione fit mentio. Par autem & major est ratio, ut leges Pontificiæ & Ecclesiasticæ obligent post sufficientem denuntiationem, non expectatâ Ecclesiæ seu fidelium acceptatione. Cum enim Summus Pontifex suam potestatem immediatè recipiat à Christo, & Christus illam dederit Petro, ejusque successoribus, independentè ab Ecclesia, si quidem illi non Ecclesiæ dixit: *Tibi dabo claves. Pascite oves meas. Quodcumque ligaveris &c.* non

30. **E**st in usu illius pendere ab Ecclesiæ consensu, cum neque in collatione illius talis conditio exprimitur, neque ad rectam gubernationem expediens fuerit cum ea conditione conferri; sæpè enim frustraretur, dissentiente populo, redderetur inefficax remedium capitis, dissentientibus membris, minueretur subordinatio membrorum erga caput, daretur occasio relaxandæ disciplinæ, & demum tolleretur regimen monarchicum, quod Christus induxit in Ecclesiam. Unde certum omnino videtur, posse Summum Pontificem obligare Ecclesiam suis legibus, independentè à consensu & acceptatione illius. Imò Suarez lib. 4. de legibus cap. 16 ait id turâ fide negari non posse.

Probatur secundo: Præceptum particulare ali-

30. cujus particularis obligat subditum in conscientia, non expectato consensu subditi, & ejus acceptatione: Ergo etiam lex obligat totam communitatem, non expectato consensu sive acceptatione populi. Antecedens est certum, & conceditur ab omnibus. Consequentia verò probatur, quia lex non habet minorem vim obligandi totam communitatem, quam præceptum particulare particulares personas; nam sicut præceptum est mandatum particulare illius qui superior est, particulari personæ; ita lex est præceptum commune illius qui superior est, toti communitati.

31. Confirmatur: Obligatio legis oritur ex subjectione quâ subditi prælati subditi, & obedientia quam illis præstare tenentur: Sed obedientiæ vis non oritur à subditi acceptatione, sed ab excellentia autoritatis quam superiores habent in subditos; nam sicut in naturalibus oportuit ut per quandam necessitatem moverentur inferiora à suis superioribus ad suas actiones naturales, puta corpora sublunaria à cælestibus, per excellentiam naturalis virtutis divinitus illis communicatæ; ita in rebus humanis oportet quod inferiores per voluntatem moveantur à suis superioribus, secundum quandam necessitatem moralem, in qua consistit obligatio legis, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 104. art. 5. his verbis: *Obediens movetur ad imperium præcipientis, quadam necessitate justitiæ, sicut res naturalis movetur ex virtute sui motoris, necessitate naturæ*: Ergo obligatio legis non pendet à consensu seu acceptatione populi.

32. Confirmatur ampliùs: Valde inefficax & penè inutilis esset potestas Legislatoris, si non posset cogere subditos ad acceptandam, & observandam legem justam & utilem. Imò nisi lex cogeret subditos, & obligationem induceret, absque dependentia ab eorum approbatione & acceptatione, subditi que possent dissentire, esset bellum utrinque justum; nam & Prælatus justè exigeret obedientiam & observationem legis, & subditi justè resisteret, cum acceptatio legis ejus arbitrio commissa esset: Sed hæc videntur absurda & inconvenientia: Ergo &c.

33. Advertendum est tamen, quod si populus aut major & sanior pars illius, non acceptet legem promulgatam, Princeps prudenter ager, regulariter loquendo, si legem abroget, vel saltem suspendat, ad evitandos tumultus & rebelliones, aliaque gravia inconvenientia, nam ut Proverb. 3. dicitur: *Qui nimis emungit, elicit sanguinem*. Dixi, *regulariter loquendo*, nam si ex abrogatione aut suspensione legis, graviora sequantur inconvenientia, prudentiùs ager, si non abroget vel suspendat eam: v. g. si ex abrogatione vel suspensione legis, maximè enervaretur autoritas Principis apud subditos, ita ut congruè illos gubernare non posset, vel si res præcepta esset majoris momenti quàm carentia prædictorum inconvenientium, prudenter ager Princeps non abrogans, aut non suspendens talem legem.

34. Notandum est etiam, quod quando Princeps, videns aut sciens subditos legem suam non servare, non punit aut reprehendit eos, cum possit, tacitè legis obligationem auferre videtur. Ad quod nonnulli dicunt sufficere duos aut tres actus factos contra legem, sciente Principe, & non puniente, cum possit. Sunt etiam qui asserunt, non esse necessarium hos actus fieri in præsentia Principis, aut eo sciente, sed satis esse fieri scientibus ejus ministris, in curiis supremis, aut Episcopis, si lex fuerit Pontificia.

Tom. III.

A Tertiò observandum est, quod quando major pars populi non acceptat nec observat legem, minor pars quæ remanet, potest licitè majori se conformare, non acceptando, nec observando eam; ita ut quamvis primi qui non acceptaverunt legem justam, peccaverint non acceptando & non servando illam, & similiter illi qui eos primò secuti sunt; postquam tamen res pervenit ad eum statum, quod major pars populi non acceptet nec observet legem, tunc minor pars excusatur non acceptans nec observans; quia tunc Princeps censetur, moraliter loquendo, non velle obligare minorem partem populi, cum illa minor pars habeat sufficientem causam excusationis, videns majorem partem non acceptare legem; ac proinde tunc Princeps, vel virtualiter abrogat legem pro illa minori parte, vel saltem virtualiter dispensat cum illa.

§. II.

Solvuntur objectiones.

O Bjectiones primò: Cap. *In istis* dist. 4. refertur quedam sententia Augustini lib. 1. de vera religione cap. 31. sic dicentis: *Leges statuuntur, cum promulgantur; firmanur, cum moribus utentium approbantur*: Ergo quantumcumque leges instituantur & promulgantur, nondum habent firmitatem & robur obligandi, donec à populo acceptentur. Unde in lege, *De quibus*, nondum ff. de legibus, sic dicitur: *Ipsa leges non alia de causa nos tenent, quam quod judicio populi receptæ sunt*. Et Aristoteles lib. 2. politic. cap. 6. in fine dicit, legem nullam vim habere ut sibi pareatur, nisi ex more, id est ex consuetudine & acceptatione populi.

Ad testimonium Augustini respondeo primò, illa verba non inveniri in Augustino, sed fuisse à Gratiano addita.

Respondeo secundò, quod autoritas illa magis nobis favet quàm noceat, nam si leges instituantur quando promulgantur, sicut promulgantur independenter ab acceptatione populi, sic instituantur & obligant in actu secundo, independenter à tali acceptatione, cum hujusmodi obligatio in actu secundo, per modum proprietatis à lege promulgata oriatur. Cum autem dicitur in eadem autoritate, quod leges moribus utentium firmanur, non significatur, quod ab illis habeant vim obligandi, vel dependenter ab eis, sed sensus est, quod cum priùs habuerint eam independenter ab illis, roboratur hæc vis moribus utentium, & confirmatur per usum, quatenus per eum remouentur à periculo abrogationis alioquin futuræ, Principe cedente nimis resistentiæ, vel contrariâ consuetudine præscribente. Unde ibidem subditur: *Sicut enim moribus utentium in contrarium nonnulla leges hodie abrogatæ sunt, ita moribus utentium ipsæ leges confirmantur*.

Ad secundum desumptum ex lege *De quibus*, respondeo id solùm esse verum de legibus non datis à Legislatore supremo & independente, sed dependente à consensu populi, legum approbationem sibi reservantis.

Ad locum verò Aristotelis dico, solùm velle illis verbis legem non habere vim obligandi, si per contrariam consuetudinem fuerit abrogata. Vel, ut alij interpretantur, Aristotelem ibi loqui non de vi obligativa legis, quam supponitur habere ex Legislatoris voluntate, sed de assuetudine &

Y y ij

facilitate eam servandi, quæ comparatur multo-
rum actuum frequentatione, quæ longum tem-
pus requirit. Est enim ibi Philosophi scopus,
ostendere non esse facile leges mutandas, ne per
hujusmodi frequentem mutationem subditi as-
suescant superiori non parere, cui facile parere
assuevimus ex more, qui ex frequentatis acti-
bus acquiritur.

40. Objicies secundò: Lex cui tota communitas re-
pugnat, non expedit bono communi, imò vergit
in damnum illius, & propter populi rebellionem
& tumultum, magnum ex illa incommodum ori-
tur: Ergo cum lex non obliget, nisi conducat ad
bonum commune, imò veram rationem legis non
habeat, si ad bonum commune non ordinetur,
ut disp. 1. art. 2. ostensum est, lex cui tota com-
munitas repugnat, non obligat ob defectum con-
sensûs & acceptationis populi.

41. Respondeo, dato Antecedente, negando Con-
sequentiam. Esto enim lex cui tota communitas
repugnat, & reddita est inutilis & periculosa pro-
pter difficultatem eam servandi, non obliget,
nego tamen eam non obligare ex defectu con-
sensûs & acceptationis populi; nam adhuc stan-
te difficultate & populi repugnantia, posset su-
perior legis observantiam urgere, quamvis non
deberet, quando major pars communitatis repu-
gnat. Ratio ergo cur lex in eo casu non obliget,
sumitur ex eo quod tunc Princeps virtualiter de-
rogat ipsi legi; unde potius voluntas Principis
reddit tunc legem invalidam, quam non acce-
ptatio populi, quæ tantum occasionaliter dicitur
illam abrogare.

42. Objicies tertio: Consuetudo potest abrogare
legem, ut communiter Jurisperiti docent: Ergo
per non acceptationem potest lex non obligare.
Consequentia patet, quia non acceptatio populi
æquivaleret consuetudini, cum consuetudo abro-
gativa legis nihil aliud sit quam quædam non ac-
ceptatio legis jam obligantis, & nondum fir-
mata.

43. Respondeo, consuetudinem non habere vim
abrogandi legem, nisi sit legitime præscripta:
non præscribitur autem legitime, quando resistit
& refragatur præscriptioni ille cuius interest. At-
que ita populus non præscripsit neque acquisivit
sibi jus non parendi legibus, nisi acceptentur;
cum Legislatores huic usui sæpissimè resistant,
subditosque adigant ad legum acceptationem.

44. Objicies quartò: Legislator civilis accipit po-
testatem legislativam à Republica: Ergo depen-
dent à consensu illius leges fert, subindeque
leges civiles sub hac tacita conditione feruntur,
ut vim habeant, si fuerint acceptatæ & usu rece-
ptæ. Quod confirmari potest exemplo Romano-
rum, apud quos referente Alexandro ab Alexan-
dro lib. 6. dierum genial. cap. 16. non antea le-
ges obligabant, quam fuissent à populo acce-
ptatæ.

45. Respondeo, concesso Antecedente, negando
Consequentiam, nam semel à populo in Princi-
pem translatà potestate legislativâ, penes ipsum
tantum est leges condere, iisque populum obli-
gare, independenter ab ipsius consensu & acce-
ptione. Nec ullum fundamentum est asserendi,
populum sub hac conditione, ut leges vim ha-
beant, si fuerint acceptatæ, & usu receptæ, suam
potestatem legislativam in Principem transfuisse;
præsertim cum talis conditio valde debiliter
obedientiam & subordinationem subditorum er-
ga superiorem, quæ ad rectam gubernationem

maximè necessaria est, ut passim docet Aristote-
les in libris Politicorum. Unde licet populus Ro-
manus initio sub hac conditione suam potesta-
tem in legislatores transtulisset, ideòque tunc
temporis eorum leges antea non obligarent,
quam à populo acceptatæ fuissent, postea tamen
idem populus totam suam potestatem transtulit
in Legislatores & capita Reipublicæ, eaque sine
ulla limitatione usi sunt.

D. Thomas hic art. 4. explicat divisionem le-
gum humanarum ab Isidoro traditam, & discrimen
quod inter jus gentium & jus naturale repe-
ritur. Verum quia de primo sufficienter egimus
suprà disp. 1. art. 3. & de secundo dicemus in
Tractatu de quatuor virtutibus cardinalibus, cum
de jure, quod est objectum justitiæ, differemus,
ab utraque quæstione in presenti abstinemus, ne
eadem sæpius repetamus. Unde fit



DISPUTATIO V.

De potestate legis humane.

Ad quæstionem 96. D. Thomæ.

C Onsideratæ existentia & quidditate legis
humane, variisque ejus qualitatibus &
conditionibus, superest ut de ejus pote-
state differamus, & ad quæ, & quos, illa obligare
possit, breviter declarem.

ARTICULVS I.

Utrum lex humana possit obligare ad actus
internos?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

P Ro intelligentia & resolutione hujus difficul-
tatis, notandum est, illam procedere non so-
lum de actibus internis secundum se, id est qua-
tenus nullo modo connectuntur cum externis,
qui sunt purè interni, sed etiam de iis, ut cum ex-
ternis connexionem habent. Dupliciter autem
potest connecti actus internus cum exteriori, pri-
mò ut causa & forma illius, quæ ratione volitio
efficax furandi connectitur cum furto exteriori,
& hæc connexio est per se. Secundo modo etiam
connectitur per se, saltem ut conditio necessariò
requisita ad substantiam actus exterioris in gene-
re moris consideratam. Hoc modo attentio con-
nectitur cum oratione vocali, & dolor internus
cum confessione sacramentali, & intentio bapti-
zandi cum actione externa baptizantis; non enim
est vera oratio exterior in genere moris conside-
rata, nisi procedat ex aliqua attentione; nec vera
confessio sacramentalis, quæ non procedit ex do-
lore interno; nec vera actio baptizandi, quæ ex
intentione ministri non sequitur. Est autem ma-
nifesta differentia inter actus primi & secundi
generis, nam actus primi generis sufficienter ma-
nifestantur per exteriores; quis enim non videat
volitionem furandi manifestari per furtum exte-
rius? Actus verò secundi generis non sufficienter
manifestantur per actus exteriores, recitatio

enim exterior officij, non sufficienter manifestat attentionem & devotionem, cum possit esse sine illa. Tertiò actus interior potest connekti cum exteriori non per se, sed per accidens, etiam quantum ad esse morale actionis, sicut motivum penitentia per accidens conjunctum est externo jejunio, & motivum vanæ gloriæ largitioni elemosinæ. Proposita ergo difficultas procedit universaliter, utrum videlicet lex humana, tam civilis, quam Ecclesiastica, possit obligare ad actus internos, tam secundum se, & ut sunt purè interni, quam ut connectuntur cum exterioribus, tribus modis jam explicatis?

2. Triplex autem in ejus resolutione reperitur Authorum sententia. Prima affirmat, legem humanam posse obligare ad actus interiores, non solum ut connectuntur cum exterioribus aliquo ex modis prædictis, sed etiam secundum se, & ut sunt purè interiores. Ita Adrianus quodlib. 8. art. 1. lit. H. Albertus Pigius lib. 6. Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 26. & Summa Rosella verbo *hæresis*. Quam ut probabilem defendit Joannes Medina Codice de oratione quæst. 15.

Secunda existimat legem humanam non posse præcipere aut prohibere actus purè internos, imò neque illos qui exterioribus connectuntur, nisi sint tales, ut per exteriores sufficienter exprimantur, sicut causa per proprium effectum. Ita Vazquez 1. 2. disp. 160. cap. 7. & sequentibus, Salas disp. 9. de legibus sect. 1. Amicus in Tract. de legibus disp. 5. sect. 5. Martinonus disp. 29. sect. 1. & alij.

Tertia, inter utramque veluti media, docet legem humanam non posse quidem præcipere actus internos cum exterioribus nullam connexionem habentes, bene tamen actus internos, ut conjunguntur cum exterioribus, non solum eos sufficienter manifestantibus, sed etiam si non sufficienter manifestent eos, dummodo tamen per se requirantur ad integritatem exteriorum in genere moris, saltem ut conditiones omnino necessarias. Hanc tenent communiter Thomistæ, præsertim Cajetanus, in summa, verbo *Excommunicatio*, & verbo *Hora canonica*, & Soto lib. ultimo de justitia quæst. 5. art. 5. quos sequuntur Suarez, Valentia, Azorius, Salas, Sylvius, & alij plures.

§. II.

Vera sententia sequentibus conclusionibus stantur.

3. Dico primò, lex humana non potest obligare ad actus purè internos, qui nullo modo per exteriores manifestantur, nec cum illis aliquam connexionem habent. Ita D. Thomas infra quæst. 100. art. 9. ubi nostram conclusionem hac ratione demonstrat: Id tantum cadere potest sub præceptum aut prohibitionem legis humanæ, ad quod faciendum vel omittendum lex humana cogere potest: Sed lex humana non potest cogere ad actus purè internos, qui per exteriores non manifestantur: Ergo nec illos præcipere aut prohibere. Major constat, nam potestas legislativa ad præcipiendum vel prohibendum, est etiam ad cogendum, ut docet Aristoteles 10. Eth. cap. 5. ubi ait potestatem legislativam debere necessariò habere adjunctam potestatem coactivam, quia alioquin esset inutilis & inefficax. Minor verò sic ostenditur: Coactio legis est per metum pænæ, ut dicitur 1. Ethic. cap. ultimo: Sed præ-

Tom. III.

A na non infligitur nisi pro illis de quibus legislator habet judicare, quia ex judicio lex punit: cum igitur non possit legislator humanus judicare de actibus purè internis, quia homines vident ea quæ parent, ut dicitur 1. Regum 16. non potest cogere ad illos. Unde juris axioma est cap. *Christiana Religio* 32. quæst. 5. *Non habere latentia peccata vindictam.*

Dices, ex hoc discursu D. Thomæ sequi, legem humanam non posse prohibere aut præcipere actus externos occultos, ob defectum testium, cum tales actus non possint puniri per legem purè humanam.

B Sed negatur sequela, quia actus exteriores occulti, ob defectum testium, sunt manifesti secundum se, & tantum per accidens occulti; unde cum lex non respiciat ad id quod est per accidens, ab illa per se præcipi & prohiberi possunt. Similiter tales actus sunt per se punibiles per legem humanam, licet per accidens ex defectu probationis puniri per homines non possint. Cujus signum est, quia quacumque ratione perveniat delictum ad sufficientem hominum notitiam, puniri poterit, licet in principio fuerit occultissimè commissum, quod non ita est de actu merè interno.

C Aliam rationem insinuat S. Thomas 2. 2. quæst. 104. art. 5. quæ sic potest proponi: Potestas legislativa per se primò tendit ad externum & commune Reipublicæ regimen: Sed actus purè interni non sunt apta materia humani regiminis: Ergo potestas legislativa ad actus purè internos, seu qui in pura mente consummantur, extendi nequit. Major patet, Minorem verò optimè declarat D. Thomas ex Seneca 3. de beneficiis, quia unus homo naturaliter non subditur alteri, secundum animam, sed secundum corpus: *Errat enim (inquit ille) si quis putat servitutem in totum hominem descendere, pars enim melior excepta est. Corpora obnoxia sunt & adscripta dominis, mens sui juris est.*

D Dico secundò, lex humana potest præcipere vel prohibere actus internos, qui per se sunt causa actuum exteriorum, illos sufficienter manifestantium. Patet hæc conclusio, qui enim prohibet furtum, prohibet voluntatem efficacem furandi, & qui præcipit actum externum recitandi officium, præcipit voluntatem efficacem recitandi, quia isti actus per se connectuntur cum exterioribus, taliter quod sine illis exteriores morales esse non possunt: unde cum lex humana hujusmodi actus exteriores ut sunt morales præcipiat, aut prohibeat, etiam præcipit aut prohibet interiores à quibus imperantur, & qui per actus illos externos necessariò manifestantur.

E Dico tertio, lex humana potest præcipere aut prohibere actus internos per se requisiti ad integritatem exteriorum in genere moris, saltem ut conditiones necessarias, quamvis per exteriores non manifestentur.

Probatum breviter: Qui habet potestatem præcipiendi aliquid, habet etiam potestatem præcipiendi illud quod necessariam connexionem cum eo habet, ut illud subsistat; quæ ratione lex humana potest præcipere vel prohibere actus internos, qui per se sunt causa actuum exteriorum, ut præcedenti conclusione dicebamus: Sed multi sunt actus exteriores, quos lex humana præcipere potest, qui per se requirunt actus aliquos internos ad suam integritatem moralem, quamvis per exteriores non manifestentur: Ergo lex

Y Y y iij

humana potest præcipere actus interiores per se requisitos ad integritatem exteriorum in genere moris, quantumcumque per exteriores non sufficienter manifestentur. Major constat, Minor verò probatur in intentione baptizandi, & administrandi alia sacramenta, in dolore ad confessionem requisito, & in attentione recitandi horas canonicas, sine quibus actus exteriores non habent integritatem moralem necessariam, quamvis actus illi interni, per exteriores sufficienter non manifestentur.

8. Hanc conclusionem fusiùs declaravimus in dissertatione Theologica de probabilitate, art. 3. ubi contra Caramuelem ostendimus, præceptum Ecclesiasticum de horis canonicis recitandis, non solum ad attentionem & devotionem exteriorem, sed etiam ad interiorē obligare. Quod potest adhuc confirmari ex eo quod aliqui Pontifices cum aliquibus dispensarunt, ut etiam si divinum officium cum mentis distractione recitaverint, modò id malitiosè non fecerint, præcepto Ecclesiæ satisfaciunt, ut concessit Leo X. Minoritis, prout refertur in compendio Privilegiorum Societatis Jesu, sub littera, *Hora Canonica*, §. 7. Ex hoc, inquam, confirmari potest sententia quæ docet Ecclesiam præcipere attentionem internam, & non solum externam, in recitandis horis; dispensatio enim supponit legem, à cuius obligatione eximit: Ergo si Pontifices dispensarunt cum aliquibus, ut satisfacerent præcepto Ecclesiæ, de recitatione divini officij, quamvis illud cum mentis distractione recitaverint, manifestum videtur, Ecclesiam præcipere attentionem & devotionem interiorē & non solum exteriorē in horis canonicis recitandis.

9. Dico quartò, lex humana non potest præcipere aut prohibere illos actus internos, qui tantum per accidens conjunguntur cum exterioribus.

Patet hæc conclusio: cum enim lex humana, ut suprà dicebamus, per se primò tendat ad externum & commune Reipublicæ regimen, nihil potest præcipere, nisi vel sit sensibile in se, vel cum per se sensibili connexionem per se habeat: Sed actus interni, qui per accidens tantum conjunguntur cum exterioribus, nec per se sensibiles sunt, nec connexionem per se habent cum actu externo per se sensibili: Ergo non possunt cadere sub lege humana.

10. Confirmatur: Quando actus interior non est per se conjunctus cum actu externo, sed tantum per accidens, actus interior se habet tantum ut modus implendi præceptum: At modus præcepti non cadit sub præceptum, ut docet D. Thomas infrà quæst. 100. art. 9. Ergo lex humana non præcipit actum internum simul cum externo, quando internus necessariò conjunctus non est cum actu externo, sed tantum per accidens. Sic quando lex humana præcipit jejunium observandum tempore quadragesimæ, non præcipit simul internum motivum vel pœnitentiæ vel temperantiæ, quia internum motivum tale, tantum per accidens conjunctum est externo jejunio, cum non referat, ex quo motivo præceptum jejunij impleatur, modò impleatur ex honesto motivo.

§. II.

Solvuntur objectiones.

11. **O**bjicies primò contra primam conclusionem: Potestas Ecclesiastica spiritualis est,

A & ordinata ad profectum interiorē animarum, tanquam ad finem: Sed ad hunc finem consequendum, valde necessarium est, ut extendatur ad actus etiam purè interiores præcipiendos, in quibus præcipue consistit animarum salus: Ergo datur in Ecclesia hujusmodi potestas.

Confirmatur: Potestas Ecclesiastica absolute data fuit à Christo, dum dixit Petro: *Quodcumque ligaveris super terram &c.* Ergo non est cur limitetur à nobis ad actus exteriores.

12. Ad objectionem respondeo quod finis potestatis Ecclesiasticæ remotus, est salus animarum, proximus autem est bonum sensibile & exterius, pertinens ad sensibilem hierarchiam. Uterque autem non cadit sub legis præcepto, sed tantum actus exteriores, qui ordinantur ad illud bonum exterius; ex consequenti verò cadunt etiam actus interiores, qui per se connexionem habent cum exterioribus; non verò actus interiores puri, neque qui accidentaliter solum connectuntur cum exterioribus. Unde

Ad confirmationem respondetur quod potestas legislativa tributa à Christo, merito limitatur ad actus tantum exteriores, & interiores, qui per se connexionem habent cum istis; nam cum sit in ordine ad gubernationem sensibilibus hierarchiæ tantum, debet esse per ordinem ad actus sensibiles exteriores, & ad interiores, sine quibus hujusmodi exteriores per se esse non possunt.

13. **C** Objicies secundo: Ecclesia præcipit fidelibus ut singulis annis confiteantur peccata sua, etiam purè interiora: Ergo potest actus purè interiores præcipere.

Confirmatur: Summus Pontifex potest dispensare in voto merè interno: Ergo & actum purè internum prohibere vel præcipere.

14. Ad objectionem respondeo quod Ecclesia non posset præcipere fidelibus ut confiterentur peccata purè interiora, si id non fuisset præceptum à Christo, qui potestatem habet præcipiendi actus purè internos: Supposità verò institutione confessionis exterioris à Christo factà, determinat tempus quo obligat præceptum Christi, præcipiendo ut fiat saltem singulis annis: hoc autem non est præcipere actum internum, sed externum, & internum, ut connexionem habet per se cum externo, supposità Christi institutione, quod optimè potest.

15. **E** Ad confirmationem, concessio Antecedente, nego consequentiam & paritatem: Ratio disparitatis est, Primò quia ad dispensandum potestas coactiva non requiritur, bene tamen ad præcipiendum aut prohibendum. Secundò, quia dispensatio internam animi quietem respicit, lex verò externam gubernationem. Tertio, quia obligatio voti oritur ex interno actu, nec signo externo indiget: at obligatio legis humanæ non obligat ex solo actu interno, nisi etiam promulgatio accedat.

Objicies tertio: Ad Ecclesiam pertinet suis legibus dirigere homines in vitam æternam: Sed ad hunc finem magis necessarium est ordinare actus internos quàm externos: Ergo Ecclesia actus merè internos præcipere vel prohibere potest. Unde in cap. *Novus*, de sententia excommunicationis, excommunicantur omnes hæretici, Et in Clementina 1. de hæreticis cap. *Multorum*, circa finem, excommunicantur Inquisitores hæreticæ pravitatis, *si odij, gratia, vel amoris lucri, vel commodi temporalis obtentu, contra justitiam & conscientiam suam, omiserint contra quem-*

quam procedere ubi fuerit super pravitate hæretica procedendum. Et in cap. *Dolentes*, de celebratione Missarum, præcipitur Clericis, ut divinum officium, nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter & devotè: hæresis autem peccatum mentis est; amor & odium actus interni, devotio etiam interior actus est.

16. Respondeo ad Ecclesiam pertinere suis legibus dirigere homines ad vitam æternam, non quomodocumque, sed cogendo & judicando; unde cum ipsa non judicet de actibus purè internis, sed in judicio Dei reserventur, non potest eos præcipere aut prohibere, si purè interiores sunt. Unde ad capita juris citata, dicendum est, quod hæresis prohibetur ab Ecclesia, & punitur excommunicationis pœnâ, non ut purè mentalis est, sed ut conjuncta est cum exteriori. Similiter odium & amor puniuntur, ut conjuncta sunt cum actibus exterioribus, & interna devotio præcipitur, ut conjuncta est orationi vocali.

17. Objicies quartò contra tertiam conclusionem: Lex humana præcipere aut prohibere non potest nisi illos actus de quibus potest judicium ferre: Sed non potest judicare de actibus internis, qui per exteriores sufficienter non manifestantur, cum Ecclesia neque Republica secularis judicent de occultis; ut enim dicitur in cap. *Tua nos*, de simonia: *Nobis datum est de manifestis tantum modo judicare*: Ergo lex humana non potest præcipere aut prohibere actus illos internos, qui per exteriores sufficienter non manifestantur, quamvis illis per se connectantur.

18. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad hoc enim ut lex humana de actu interno judicium ferre possit, non requiritur quod actus internus sufficienter per externum exprimat, sed sufficit & requiritur quod habeat connexionem per se cum externo, de quo potest judicium ferre, tunc enim, saltem indirectè, potest judicium & legem ferre supra actum internum. Si verò actus internus sit per se causa actus exterioris, & sufficienter per illum manifestetur, lex humana directè supra illum judicium & legem ferre potest.

19. Objicies quintò contra ultimam conclusionem: Ecclesia potest punire actum interiore, qui tantum per accidens connectitur cum exteriori: Ergo & illum præcipere vel prohibere. Consequentiâ patet; Antecedens probatur ex cap. *Commisissa*, de electione & electi potestate in 6. ubi imponitur pœna privationis fructuum ei qui parochiale beneficium recipit cum intentione non suscipiendi sacerdotium intra annum.

20. Respondeo, negando Antecedens, & ad ejus probationem dico, quod Ecclesia ibi non punit illum actum interiore, sed exteriorem recipiendi beneficium, quem non vult punire, nisi adjuncto illo actu interno ut conditione; vult enim quod Clericus non faciat fructus suos, nisi receperit beneficium parochiale cum intentione suscipiendi sacerdotium intra annum; quod optimè facere potest, nam licet non possit Ecclesia suâ lege actus internos per accidens cum externis conjunctos prohibere vel præcipere, potest tamen eos requirere ut conditionem externi contractus, quâ non impletâ, contrahens non acquirat jus in rem sub tali conditione acceptatam. Sicut si quis vellet alicui pauperi dare elemosynam sub hac conditione ut cum devotione & attentione interiori oraret, actum internum non

A præciperet, sed tantum illum requireret ut conditionem quâ non positâ nollet in pauperem transferre dominium elemosinæ exterioris.

Addunt aliqui, pœnam restitutionis fructuum perceptorum, non statim propter transgressionem legis Ecclesiasticæ, sed divinæ naturalis, quâ tenetur qui parochiale beneficium accipit, se idoneum ministrum talis beneficii reddere. Nec refert, quod aliâ viâ possit hic fructus percepti beneficii compensare, & aliis obsequiis suos reddere; nam hoc ipso quod Ecclesia determinat certum genus officij, quod beneficiarius debeat in compensationem accepti beneficii præstare, non est amplius in ejus potestate illud mutare: sicut hoc ipso quod Ecclesia suâ lege determinat præceptum divinum de sabbato sanctificando, per auditionem sacri, non est amplius in potestate fidelium illud in aliud opus commutare.

ARTICVLVS II.

Virum leges humane tam civiles quàm Ecclesiasticæ obligare possint in foro conscientie, ita quod eas transgrediens reus sit culpe apud Deum?

C Valdenses apud Guidonem lib. de hæresibus, Marsilius de Padua, Joannes Wiclef, & Joannes Hus ex Bellarmino 4. de Pontifice cap. 15. negant ullam legem humanam, sive Ecclesiasticam sit, sive civilem, in conscientia obligare. Hos secutus est Calvinus 4. instit. cap. 15. & sequentibus, ubi tamen concedat, Prælatos & Magistratus politicos, posse leges aliquas ad conservationem disciplinae & pacis inter cives præscribere; negat tamen eas in conscientia obligare, cum conscientia (inquit) soli Deo subdita sit, ideoque ab eo solo ligari seu lege coerceri possit.

D Ab hac sententia seu potius errore non longè distare videtur Joannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, Tract. de vita spiritali, lect. 4. alphabeto 62. ubi admittit quidem, leges humanas, maxime Ecclesiasticas, habere vim obligandi in conscientia, contendit tamen eas vim illam à solo Deo, vel à Christo habere, non verò à legislatoribus humanis, qui dum leges condunt, solùm declarant obligationem quam Deus imponit, ipsi verò nullam obligationem in foro conscientie imponunt. Exemplum affert de ægrotis, qui tenentur in conscientia Medicis obedire, non quòd Medici imperandi auctoritatem habeant, sed quia declarant id ad quod ægrotus lege naturali & divinâ tenetur. Gersonem sequitur Almainus Tract. de potest. Ecclesiast. quæst. 1. cap. 11. quantum ad leges civiles, sed non quantum ad Ecclesiasticas. Ut hic error confutetur, & communis ac vera sententia declaretur, sit

§. I.

Vera sententia duplici conclusione statuitur.

Dico primò, leges humanas Ecclesiasticas habere vim obligandi ad culpam, & in foro conscientie.

Conclusio est certa de fide, ac definita in Concilio Constantensi sess. 8. & 11. contra Wiclef, & Joannem Hus, & in bulla Leonis X. contra Iu,

therum, & contra hos & alios hæreticos in Tridentino sess. 7. can. 8. his verbis: *Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesie præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, anathema sit.*

24. Id etiam constat ex variis Scripturæ testimoniis, Christus enim Matth. 18. sic pronuntiat: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* Ubi Chrysostomus homil. 61. *Considera quomodo Publicanum ad exemplum summa nequitiæ posuit.* Præceptis ergo Ecclesiæ non obedire, summæ nequitiæ est. Item Christus Lucæ 10. ait: *Qui vos spernit, me spernit.* Et Paulus ad Hebræos 13. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris redduri.* Demum idem Apostolus ait 1. ad Corinth. 10. *Præcipio ego, non Dominus.* Et Actorum 15. Apostoli dicunt: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria &c.* Quibus locis designatur specialis potestas legum Ecclesiasticarum obligandi in foro conscientiæ, ut procedunt à Legislatibus humanis, aliàs non diceret Paulus: *Præcipio ego, non Dominus,* nec Apostoli: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Neque hoc ultimo loco continetur solum consilium, ut hæretici volunt, iis enim contineri præceptum in conscientia obligans, indicant verba illa *Oneris, & Necessaria,* docentque Chrysostomus ibi homil. 33. Hieronymus Ezechiel. 44. versu 31. Augustinus lib. 32. contra Faustum cap. 13. & alij. Hæc conclusio magis constabit ex dicendis in sequenti.

Dico secundo, etiam leges civiles & politicas, posse ad culpam obligare, & necessitatem in foro conscientiæ imponere.

25. Probatum primo ex Scriptura, dicitur enim 1. Petri 2. *Subditi igitur estote omni humanae creature, sive Regi quasi præcellentis, sive Ducibus tanquam ab eo missis, in vindictam malefactorum, &c.* *Hæc est enim voluntas Dei.* Et 2. Petri 2. dicitur eos qui spernunt dominationem, reservari in diem judicii cruciandos. Et ad Rom. 13. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Quod de damnatione etiam apud Deum Chrysostomus & alij Interpretes ibidem intelligunt. Et versu 5. *Idcirco necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Addit ibidem versu 4. *Principes esse Dei ministros, unde qui illis resistit, Deo resistit, adeoque Deum offendit.*

26. Probatum secundo ratione D. Thomæ hic art. 4. *Lex humana, sive civilis, sive Ecclesiastica, derivatur à lege æterna: Ergo habet vim obligandi in foro conscientiæ.* Antecedens est certum, & constat ex illo Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Consequentia verò probatur. Quod derivatur ab aliquo, participat rationem ejus suo modo, scilicet juxta suam naturam: cum igitur de ratione legis æternæ sit obligare posse in foro conscientiæ creaturam rationalem, cum peccatum sit dictum, factum, vel concupitum, contra legem æternam, id ipsum etiam erit de ratione legis humanæ, sive civilis, sive Ecclesiasticæ, suo modo, & juxta suam naturam.

27. Dices, si leges civiles & Ecclesiasticæ ab æterna deriventur, non erunt humanæ, sed divinæ: At hoc dici nequit: Ergo nec illud.

Respondeo negando sequelam, licet enim le-

ges civiles & Ecclesiasticæ ab æterna deriventur, non tamen immediatè (hoc enim solum competit legi divinæ & naturali) sed mediatè duntaxat, mediante scilicet discursu humano, deducto ex principiis naturalibus & divinis: hoc verò sufficit ut leges illæ humanæ censeantur, & non divinæ, vel naturales, quia conclusio, juxta regulas Dialecticorum, semper sequitur debiliorem partem. Quemadmodum in disputatione Proemiali Theologiæ docuimus, Theologiam esse habitum entitativè naturalem; quia licet conclusiones Theologiæ procedant ex principiis supernaturalibus & revelatis, ex illis tamen non deducuntur, nisi mediante discursu naturali intellectus humani, qui est causa proxima & immediata habitus Theologiæ.

Probatum tertio, ratione quâ utitur Amicus in Tractatu de legibus disp. 5. sect. 6. Potestas obligandi in conscientia reperitur in quavis communitate imperfecta, quæ constat ex viro, uxore, filiis, ac famulis: Ergo multo magis reperiri debet in communitate perfecta, quæ constat ex magistratu & civibus, sive Rege & subditis. Antecedens constat ex Deuteronomio 21. ubi jubetur morte puniri filium inobedientem & contumacem, & ex Apostolo ad Ephes. 5. & Coloss. 3. ubi hortatur mulieres ut subditæ sint viris suis. Item ex 1. Petri 2. ubi servi monentur, ut subditi sint dominis suis. Consequentia verò probatur ex eo quod magis debitum est obedire Principi, propter bonum Reipublicæ, quàm Patrifamilias, propter bonum unius domus, nam quò bonum est universalius, eò divinius.

Id confirmat exemplo præcepti quod tulit Saul de non comedendo quidquam usque ad vesperam, 1. Regum 14. tale enim præceptum obligasse in conscientia, constat ex eo quod ejus transgressio in persona Jonathæ filij Saulis, adeo displicerit Deo, ut noluerit Deus propter talem transgressionem à Saule consultus respondere.

Demum suaderi potest conclusio ex duplici inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia: Si enim humana lex, sive Ecclesiastica, sive civilis, non posset ad culpam & in foro conscientiæ homines obligare, nimis debilis & inefficax esset sæpèque suo fine eam frustrari contingeret, cum frequenter violari posset absque periculo incurrendi pœnam externam. Præterea cum Legislator humanus habeat jus ut sibi obediat, dum aliquid justum præcipit suis legibus, si subditi non tenerentur in conscientia obedire, sed haberet jus ad non obediendum, daretur bellum justum ex utraque parte, quod implicat, per se loquendo.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Contra præcedentes conclusiones objiciunt in primis hæretici: Christus per passionem & mortem suam nos vindicavit, & ab omni lege & servitute liberavit, ut sæpe ait Apostolus: Ergo subiectio ad leges humanas, & obligatio ad eas observandas, libertati Christianæ repugnat, eamque penitus destruit.

Sed nego Consequentiam, libertas enim Christiana, quam tantopere jactant hæretici, non consistit in eo quod debeamus esse immunes & liberi ab observatione legum etiam humanarum, & quod tantum præcepto fidei obligemur, sed ipsa in tribus præcipue consistit. Primo in immanitate

tate à servitute peccati, secundum illud Apostoli ad Roman. 6. *Liberati à peccato, servi facti sumus iustitiæ.* Christus enim sua passione & morte gratiam nobis promeruit, cujus beneficio possumus servitutem peccati excutere, & legem adimplere, juxta illud Augustini de spiritu & littera: *Lex data est, ut gratia quæreretur, gratia data est, ut lex adimpleretur.* Secundò, in exemptione à jure legis ceremonialis & judicialis, quo Judæi in lege Mosaica graviter premebantur, ut dicitur Act. 15, ab eo enim liberati sumus per Christi mortem, per quam lex Mosaica omnino consummata, & proflus abrogata fuit. Terriò, in immunitate à spiritu timoris servilis, quo Judæi in observatione legis Mosaicæ ducebantur, Christiani enim legem Evangelicam, non ex timore pœnarum, tanquam servi, sed ex amore & charitate, tanquam filij, observant, juxta illud Apostoli ad Roman. 8. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.* Unde meritò advertit Augustinus in 1. Psalmum, Aliud esse hominem esse sub lege, & aliud in lege. Judæi ante mortem Christi erant sub lege, quia tanquam servi subjecti erant pœnis & terroribus ipsius legis; Christiani verò sunt in lege morali & Evangelica, quia tanquam filij eas ex amore & charitate observant, non autem per vim & metum pœnarum, quæ antiquitus Judæis legem violentibus infligebantur.

31. Objicitur secundò: Potestas legislatoris inferioris non potest obligationem inducere in foro, hoc est in judicio, potestatis superioris: Sed forum conscientie est forum superioris potestatis, scilicet Dei: Ergo potestas legislatoris humani non potest obligationem inducere in foro conscientie. Minor parerit, Major etiam videtur manifesta, nam ordinarij Judices non possunt inducere obligationem in judicio superiori Principis, nec Episcopi in judicio Pape, quia nimirum eorum potestas excedit à judicio superioris potestatis.

32. Respondeo distinguendo Majorem: Potestas legislatoris inferioris non potest obligationem inducere in foro potestatis superioris, contra aut præter ordinem superioris potestatis, concedo Majorem. Ut subest ordini superioris potestatis, nego Majorem; & ad illius probationem eodem modo respondetur, ordinarios scilicet Judices, aut Episcopos, non posse contra ordinem Principis aut Pontificis, bene tamen ut stant sub ordine illorum; ut si Princeps daret potestatem ordinario Judici, ut ferret legem obligantem etiam in suo foro; & sic contingit in nostro casu, nam eo ipso quod lex humana est justa, subest ordini naturalis legis, aut divinæ, ex qua participat vim obligandi etiam in foro divino, quod est forum conscientie.

33. Dices, Ex hac doctrina & responsione sequitur quod lex humana non obligat ex eo quod humana est, sed ex eo quod subest legi divinæ superiori, ac proinde quod tota ratio obligandi desumenda est ex potestate divina, & nullo modo ex potestate humana, & per consequens quod legislator humanus nihil aliud facit, quam declarare obligationem quam imponit Deus, ut contendit Gerson, afferens exemplum Medici, cui tenentur in conscientia obedire ægroti, non quòd imperandi auctoritatem habeat, sed quia declarat id ad quod ægrotus lege naturali & divinâ tenetur.

34. Respondeo negando sequelam, nam licet tota ratio obligandi desumenda sit ex lege naturali aut

Tom. III.

A divina, ut ex prima causa obligandi, hoc tamen non tollit, quin etiam debeat desumi ex potestate humana, ut ex principio proximo, cum potestas humana verè & propriè sit potestas legislativa, licet sub Deo; ac proinde non solum est potestas declarandi obligationem conscientie impostam à Deo, sed etiam obligandi apud illum. Ex quò patet exemplum à Gerson adductum non esse ad rem, longè enim dispar est ratio inter Legislatorem humanum, & Medicum; cum Medici, ut constat, nullam imperandi potestatem respectu infirmorum habeant; at verò Principes Ecclesiastici & sæculares, respectu subditorum, publicâ auctoritate funguntur, iisque legitime possunt imperare, subindeque leges aliquas in conscientia obligantes constituere.

B Objicitur terriò: Potestas Principum sæcularium est merè temporalis & politica: Ergo non potest se extendere ad aliquid spirituale, nec per consequens obligare ad culpam, & in foro conscientie.

Confirmatur primò: Legislator civilis non potest solvere in foro conscientie: Ergo nec in eo ligare: Ergo nec obligare in conscientia.

Confirmatur secundò: solius Dei est pœnam alterius vitæ quam quævis culpa incurrit statuere: Ergo non potest Legislator creatus ad eam suâ lege obligare, nec per consequens ad culpam, quæ tali pœnâ punitur.

C Ad objectionem respondeo, potestatem Principum sæcularium dici temporalem ratione objecti, quia secundum se tota est de personis, rebus & actionibus temporalibus; ratione tamen obligationis quam inducit, dici potest spiritualis, & in conscientia obligare: licet enim per se primò respiciat bonum temporale Rēpublicæ, & per se primò non intendat ligare conscientias, sub pœna damnationis æternæ, sed solum præcipere aliquid ad promovendum tale bonum, sub pœna temporalis, proportionata ad consequendum suum finem; ex consequenti tamen, quia hoc præcipit ut stat sub ordine divinæ potestatis, & in virtute illius potentis obligare in foro conscientie quantum ad culpam & pœnam æternam, ad culpam & in foro conscientie obligat.

D Ad primam confirmationem, concesso Antecedente, nego Consequentiam, inferior enim, cum obliget per potestatem à superiori datam, ligare potest in eo foro, in quo non potest solvere. Imò potest quilibet hominum seipsum ligare in foro Dei, per votum aut juramentum, quamvis in eo non possit seipsum solvere. Et lex naturalis non potest remittere pœnam alterius vitæ, ad quam tamen potest indirecè & mediatè obligare; nam ad indirectam obligationem pœnæ, sufficit tantum directa & immediata potestas ad actum, cujus transgressionem consequitur pœna.

E Ad secundam confirmationem, similiter, concesso Antecedente, nego Consequentiam, nam licet solius Dei sit pœnam alterius vitæ statuere, cum statuere pœnam, sit pœnam taxare, ad eam tamen semel à Deo taxatam potest Legislator creatus per suam legem indirecè & mediatè obligare; Deus enim non solum taxavit pœnam violentibus leges suas, sed etiam humanas, cum per legum humanarum violationem contemnatur ipse Deus, à quo legislator humanus accepit potestatem condendi leges.

Objicitur quartò: Leges humanæ habent vim obligandi in foro conscientie à lege æternâ, ut docet D. Thomas hęc art. 4. Ergo vis obligandi

Z z z

in foro conscientiae, non legi humanae, sed soli legi aeternae tribui debet.

38. Sed nego Consequentiam, licet enim vis obligandi in foro conscientiae, à lege aeterna ut à causa universali remota oriatur, à lege tamen humana ut à causa particulari provenit; unde sicut effectus tribuitur causae particulari, suam actione determinanti causam universalem; ita obligatio in conscientia tribuitur legi humanae, quae ut causa particularis suam obligatione determinat legem aeternam ut causam universalem in obligando.

39. Quæres primò, an omnes leges humanae obligent ad culpam?

Respondeo negativè, nam Constitutiones Ordinis nostri sunt veræ leges, cum qualibet illarum sit ordinatio rationis in ordine ad bonum commune Religionis, ab eo qui curam habet communis promulgata, quæ est definitio legis, & tamen non obligant ad culpam, sed tantum ad poenam, ut in ipsarum prologo declaratur.

40. Quæres secundò, quænam leges humanae obligent ad culpam, vel solum ad poenam?

Respondeo omnem legem justam obligare ad culpam, nisi ipse Legislator contrariam intentionem expresserit, dicendo, non intendimus obligare ad culpam, sed solum ad poenam, ut factum fuit in nostris Constitutionibus. Cum enim obligatio legis in actu secundo tam ad culpam quam ad poenam, consequatur legem promulgatam, ad modum proprietatis, nisi voluntate Legislatoris impediatur, talisque voluntas declaretur, leges humanae, si sint iustæ, non solum ad poenam, sed etiam ad culpam obligare censentur. De quo fuitis disp. sequenti art. 1. Dixi, si sint iustæ, quia ut docet S. Thomas hic art. 4. leges humanae iniustæ non obligant in foro conscientiae, nisi ad vitandum scandalum aut turbationem. Tripliciter verò (inquit) leges humanae possunt esse iniustæ, nempe vel ex fine, sicut cum aliquis presidens leges imponit onerosas subditis, non pertinentes ad utilitatem communem, sed magis ad propriam utilitatem, vel gloriam. Vel ex auctore, sicut cum aliquis legem fert ultra sibi commissam potestatem. Vel etiam ex forma, puta cum inaequaliter onera multitudini dispensantur, etiam si ordinentur ad bonum commune. Quæ si ad particulares leges quis sciat applicare, inde (subdit Cajetanus) multos casus conscientiae in gabellis & gravaminibus & huiusmodi publicis clarificabit.

ARTICULVS III.

An lex humana obligare possit sub culpa mortali, & quid requiratur ad hoc ut sub mortali obliget?

Dico primò, leges humanas obligare posse ad culpam mortalem, non tamen necessario ad eam obligare, sed ad solam venialem posse obstringere.

41. Prima pars hujus conclusionis probatur primò ex Apostolo ad Roman. 13. dicente eos qui superiorum potestati resistunt, damnationem sibi acquirere, quod de damnatione aeterna Chryostomus & alij Interpretes ibidem intelligunt: Sed damnatio aeterna non nisi ob peccatum mortale incurritur: Ergo lex humana sub culpa mortali obligare potest.

Confirmatur ex Augustino Epist. 50. ad Bonifacium, ubi sic ait: *Quicumque legibus Impera-*

torum quæ pro rei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium, scilicet apud Deum, apud quem non nisi propter mortale, grande supplicium acquiritur.

Probatur secundò ratione: Sicut aliæ obligationes solvendi aliquid debitum, possunt esse graves, quando id quod debetur est grave, & ex jure integro exigitur ab eo cui debetur; sic obligatio per legem aut per mandatum constituta, potest esse gravis, quando id quod constitutum fuerit est grave, & vehementer, graviterque exigitur ab authore legis vel mandati: Sed peccat graviter qui contra gravem obligationem agit: Ergo obligatio per legem humanam imposita, potest esse sufficiens ad peccatum grave, & morte aeterna dignum, subindeque ad peccatum mortale.

Quod verò ad solum veniale obligare possit, patet: lex enim prohibens verba otiosa, mendacia jocosa, risum immoderatum, & alia huiusmodi, quæ est quoddam rationis dictamen, solum obligat ad veniale: Ergo etiam inter leges humanas nonnullæ erunt, quæ solum obligant ad veniale. Unde in quibusdam Religionibus earum constitutiones ad nullam culpam mortalem aut venialem obligant; aliæ obligant solum ad peccatum veniale, aliæ verò ad mortale; quod non aliunde dependet, quam ex voluntate Fundatorum, qui tales constitutiones ediderunt: nam materia earum, saltem multarum, sufficiens est ad peccatum mortale, si ad illud Legislator voluisset obligare.

Dico secundò, ad hoc ut lex humana obliget sub mortali, requiri gravitatem materiae, subindeque nullam legem humanam posse in materia levi sub mortali obligare.

Probatur primò: Sicut lex humana derivatur ex naturali, vel divina; ita obligatio ejus derivatur ab obligatione legis naturalis, vel divinae: Sed Deus suam lege naturali, vel divinam, nunquam imponit obligationem ad culpam mortalem, quando materia est levis, ut omnes fatentur: Ergo neque Legislator humanus obligat sub mortali, nisi materia sit gravis.

Probatur secundò: Potestas humana est limitata & proportionata exigentiæ & naturali capacitati materiae: Ergo non potest præcipere & obligare supra materiae connaturalem capacitatem vel exigentiam, nec per consequens ad gravem culpam, qualis est peccatum mortale, si materia sit levis.

Probatur tertio: Si lex humana pro levi culpa poenæ mortis addiceret, haberetur pro injusta & nulla, quoad illam partem: Ergo multò magis erit injusta, si in materia levi imponat reatum poenæ aeternæ à Deo infligendæ.

Dices: Præceptum impositum primis parentibus erat circa levem materiam, unius scilicet pomi comestionem, & tamen sub mortali peccato obligabat: Ergo similiter leges humanae poterunt sub mortali obligare, quamvis sint in materia levi.

Respondeo negando Antecedens, cum enim hoc præceptum impositum fuerit, ut obedientia hominis ad Deum reluceret, Deusque gravi jure à primis parentibus exegerit ut de fructu ligni vetiti non comederent, in signum subjectionis & agnitionis tot beneficiorum Adamo collatorum, de materia gravi fuit, quamvis res præcepta aliàs levis fuerit. Addo quod, cum divinum jus sit summum & illimitatum, non debet obligatio ejus esse proportionata exigentiæ & naturali capacitati mate-

ria, sicut obligatio juris humani, quod finitum & limitatum est. Unde quamvis lex divina possit in levi materia graviter obligare, non tamen humana, sive Ecclesiastica sit, sive civilis.

Dico tertio, etiam intentionem legislatoris requiri, ut lex humana obliget ad culpam mortalem, supposita materiae gravitate; unde quamvis materia legis sit gravis, si tamen legislator non intendat obligare sub mortali, talis lex non obligabit sub mortali. Est contra Vazquem hic disp. 1, 8. cap. 4. ubi asserit obligationem legis humanæ ad mortale vel veniale, ex sola gravitate aut levitate materiae, non verò ex intentione aut voluntate legislatoris dependere.

48. Probatur tamen nostra conclusio ex principiis supra statutis, supra enim ostendimus, ex voluntate legislatoris pendere quod leges humanæ obligent ad culpam, vel solum ad poenam; ita ut si legislator declaret se nolle ad culpam obligare, ad illam lex ejus non obliget: Ergo multo magis ex eadem legislatoris voluntate pendet, & non solum ex gravitate materiae, quod lex ejus obliget ad mortale vel ad veniale; si enim potest totam obligationem ad culpam impedire, multo magis partem. Unde, ut supra dicebamus, in aliquibus Religionibus approbatis, constitutiones non obligant ad mortale, sed tantum ad veniale (quamvis interdum sint de rebus ad peccatum mortale sufficientibus, si rigide præcipiuntur, ut de facto audiendo, de multis abstinentiis & jejniis) quia nimirum legislator expressè declaravit, non esse suæ intentionis obligare sub mortali, sed tantum sub veniali.

49. Confirmatur: Licet obligatio sit propria passio consecuta ex lege promulgata, consequitur tamen illam impedibiliter, ita ut per voluntatem legislatoris impediri possit, ut in fine articali præcedentis dicebamus; Ergo poterit legislator impedire obligationem in actu secundo ad mortale, quantumcunque ex natura rei deberet sequi ex sua lege, & relinquere illam cum sola obligatione ad poenam, ut factum est in nostris constitutionibus.

50. Dices primo, Obligatio voti sequitur ex voti emissionem, sicut obligatio legis ex lege promulgata: Sed non est in potestate votantis tollere obligationem à voto, aut minuire illam taliter quod solum obliget sub veniali quod secundum se obligat sub mortali: Ergo similiter non est in potestate legislatoris, ut lex ejus quæ potest obligare sub mortali, obliget solum sub veniali.

Respondeo disparem esse rationem inter votentem, & legislatorem, nam votum est promissio Deo facta ut superiori & primo principio, ex qua Deus acquirit jus religiosum ut sibi reddatur quod votetur; unde votens semper remanet Deo inferior, ipsique obligatus promissione suâ, juxta naturam talis promissionis; & sic ablatio, seu relaxatio voti, pendet ex sola voluntate Dei, in cujus potestate Prælati illud relaxant. At lex semper respicit inferiorem, quem legislator suâ voluntate obligat, unde potest magis vel minus obligare, secundum quod jus suum quod habet ad illum obligandum, magis vel minus ipsi applicare vult; nam tale jus est in ipsius libera voluntate, ut eo moderatius utatur, si velit, neque imponat tantam obligationem quantum posset.

51. Dices secundo, superior non potest rem levem ita præcipere ut sub mortali obliget, ut præcedenti conclusione dicebamus: Ergo neque rem gravem sub veniali.

Tom. III.

A Sed nego consequentiam, quia prior voluntas est ad imponendum gravamen ultra potestatem; posterior verò ad non imponendum totum gravamen quod potest; unde licet prior sit injuriosa subditis, posterior tamen ipsis favorabilis est, eorumque fragilitati accommodata.

Quæres unde cognosci possit gravitas materiae sufficiens, ad hoc ut lex humana obliget sub mortali?

Respondeo ex triplici potissimum capite colligi posse gravitatem materiae sufficientem ad gravem legis obligationem. In primis enim cognosci potest à posteriori, & tanquam à signo, ex gravitate verborum, quibus lex fertur, ut si dicatur, *in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientie, & sub præcepto formali*, ut fit in nostro Ordine. Vel quando aliquid præcipitur aut prohibetur sub interminatione divini judicii, aut Dei & sanctorum indignatione; non enim censendum est, hæc gravissima verba à prudenti legislatore apponi, nisi circa materiam gravem.

Secundo colligitur etiam à posteriori materiae gravitas; à gravitate poenæ quæ transgressoribus imponitur; nam cum poena non ponatur nisi propter culpam, cui proportionari debet, poena gravis non nisi pro gravi culpa imponi potest, quæ non potest esse in materia levi. Hinc fit, quod quando in spiritualibus imponitur præceptum aut lex sub poena excommunicationis majoris, tunc materia legis aut præcepti gravis est, si legislator justè præcipit; quia poena excommunicationis majoris est inter Ecclesiasticas suprema. Quando verò aliquid præcipitur sub poena suspensionis, interdicti, irregularitatis, & privationis Ecclesiasticæ sepulturæ, aliqui existimant ex hujusmodi poenis non sumi certum indicium materiae gravis, alij verò oppositum censent, & utrumque reputatur probabile. In temporalibus verò, quando aliquid præcipitur sub poena mortis, mutilationis alicujus membri, infamiae, exilij, cruciatûs acerbi, confiscationis bonorum, & similibus, censetur materia gravis; levis autem, si poena sub qua aliquid præcipitur aut prohibetur levis sit.

Tertio colligitur gravitas materiae legis à priori, ex necessitate illius in ordine ad finem, ad quem lex aut præceptum ordinatur. Unde quia ut dicitur, ad Timoth. finis præcepti est charitas, illa censetur materia gravis, quæ ad dilectionem Dei vel proximi necessaria est. Item quia lex ad bonum commune ordinatur, illa erit materia gravis, quæ ad bonum commune Republicæ, vel communis necessaria est, licet secundum se levis videatur. Unde in Religionibus præceptum de non ingrediendo uno Monacho in cellam alterius, censetur esse de re gravi in ordine ad finem & bonum commune Religionis. Quæ omnia, quando non sunt de se manifesta, judicio viri prudentis & sapientis committenda sunt, quo in rebus mortalibus, nec potest certior regula tradi, nec specialior assignari.



ARTICVLVS. IV.

An lex humana obliget ad sui observationem cum dispendio vitæ?

§. I.

Referuntur sententiæ, & verè eligitur.

55.

IN hujus difficultatis resolutione duæ sunt sententiæ extremè oppositæ: Altera negans legem humanam unquam obligare ad sui observationem cum dispendio vitæ: Altera asserens omnem legem humanam, quæ obligat sub peccato mortali servandam esse in omni eventu, etiam cum vitæ discrimine, nisi ex speciali benignitate legislatoris aliqua lex obligationem talem non inducat. Primam sententiam docet Almañus in moralibus tract. 1. cap. 3. conclus. 4. Secunda verò tribuitur communiter Cajetano hic art. 4. & Adriano in 4. quæst. 3. de clavibus. Pro declaratione mediæ & communis sententiæ,

56. Dico, legem humanam interdum obligare cum periculo & dispendio vitæ, non tamen semper.

Prima pars probatur, nam quando periclitatur salus publica, nisi ei cum manifesto dispendio vitæ aliquorum suorum civium subveniatur, Princeps vel Respublica potestatem habet obligandi subditos ad exponendam vitam pro salute Reipublicæ, & ad agendum aliquid, non obstante evidenti periculo vitæ. Sic in bello iusto milites à ducibus jubentur servare stationem periculofam, vel facere irruptionem, cum periculo & dispendio vitæ. Sic etiam tempore pestis possunt Prælati & Magistratus præcipere ut aliqui Presbyteri & Medici maneant in civitate, ut ei in tanta necessitate succurrant. Ratio est, quia omnis perfecta communitas debet habere medium conservandi salutem totius, etiam cum dispendio alienius suæ partis, cum non minus de jure naturæ sit, ut totum se conservet, etiam cum destructione partis, quam ut pars se periculo exponat propter conservationem totius.

Advertendum tamen est, leges illas quæ cives obligant ad exponendam vitam pro salute Reipublicæ, non esse purè humanas, sed aliquid juris naturalis includere, cum de jure naturæ sit, ut partes & membra cum dispendio sui sese exponant, quando id necessarium est ad totius conservationem; quia tamen obligatio illa naturalis confusa est, & indeterminata ad hunc aut illum, per humanam legem aut potestatem determinari debet, & sic obligatio certa & determinata, non est purè legis naturæ, sed humanæ adjunctæ.

57.

Quod si quæras, unde cognosci possit an lex humana obliget cum dispendio vitæ? Respondeo id ex hac potissimum regula colligi posse. Quotiescumque id quod præcipitur lege humanâ, ita conducit ad bonum commune, ut majus bonum commune sit observare legem, quam servare propriam vitam, tunc lex humana obligat etiam cum dispendio vitæ. Si autem sit majus bonum commune conservare vitam propriam, quam servare legem, tunc lex humana non obligat cum vitæ dispendio. Et ratio est, quia conservatio vitæ civium spectat ad bonum commune; sicut observatio legis: Ergo nisi obligatio legis sit majoris momenti in ordine ad bonum commune, quam conservatio

A vitæ civium, legislator cum tanto dispendio non potest obligare ad legis observationem; obligaret enim irrationabiliter, cum non ordinaret minus bonum ad majus, sed è contra majus ad minus.

Ex qua ratione & regula probata manet secunda pars conclusionis, non semper enim observatio legis est majoris momenti ad bonum commune, quam conservatio vitæ civium, imò nec quam conservatio formæ & bonorum temporalium: Ergo non semper obligat cum dispendio vitæ, imò nec cum dispendio famæ vel rei familiaris; quin potius dicendum est, leges humanas raro obligare cum magno dispendio vitæ, famæ, aut rei familiaris, quia raro observatio legis est majoris momenti ad bonum commune, quam vita civium, aut fama, vel res familiaris. Et quidem defectus hujus obligationis, non solum ex benignitate legislatoris procedit, ut videtur docere Cajetanus, sed etiam ex defectu potestatis illius, quia non potest aliquid præcipere, nisi secundum ordinem rationis, qui exposcit ut minus bonum non præsupponatur majori. Possulat etiam ordo rationis, ut lex humana non præcipiat impossibilia moraliter, id est valde difficilia, sed solum ea quæ possibilis sunt secundum naturam & consuetudinem patriæ, ut disp. præcedenti art. 1. declaravimus, explicando conditiones seu qualitates legis humane ab Ifidoro assignatas: Sed præcipere aliquid cum dispendio vitæ, famæ, vel rei familiaris, regulariter loquendo difficillimum est: Ergo lex merè humana communiter & regulariter cum tali dispendio non obligat.

Confirmatur: Lex divina positiva non semper obligat cum tanto dispendio: Ergo multo minus lex humana. Cõsequentia patet, quia lex humana non habet tantam vim obligandi, quantam lex divina. Antecedens verò patet, tum ex facto David 1. Regum 21. qui comedit panes propositionis, quos non licebat edere nisi solis sacerdotibus, ne fame moreretur, quod Christus probavit Matth. 12. Tum etiam ex consilio quo 1. Machab. 2. Judæi decreverunt pugnare in die sabbati, in quo præceptum erat ut nihil operarentur, ut vitam scilicet tuerentur. Item Christus Matth. 12. suos discipulos apud Phariseos excusat, quòd die sabbati propter necessitatem spicas vellere, quod lege prohibitum erat. Demum præceptum confessionis integræ non obligat, quando ex integra confessione magnum detrimentum imminet penitenti, ut communiter Theologi docent in Tractatu de penitentia: Ergo lex divina positiva non semper obligat cum notabili detrimento. Idem constat in lege naturali, nam votum licè jure naturali reddendum sit, non obligat cum periculo gravis incommodi. Et restitutio, quæ jure tum divino tum naturali facienda est, non obligat cum majori proprio detrimento.

58.

E Adverte tamen hoc inter legem divinam & humanam reperiri discrimen, quòd lex divina solum ex benignitate legislatoris non obligat cum tanto detrimento, poterat enim absolutè obligare cum illo, cum procedat immediatè à Deo, qui est Dominus omnium: Lex verò humana, non solum ex benignitate legislatoris, sed etiam ex defectu potestatis non obligat cum vitæ, aut famæ, vel rei familiaris dispendio; quia legislator humanus non habet potestatem disponendi de vita & bonis civium, nisi in ordine ad salutem & bonum communitatis, & cum ea solum conditione accipit potestatem à Republica, ut non nisi extremè

58.

59.

60.

vel gravi urgente necessitate publicæ salutis, de vita & bonis civium disponere possit.

62. Ex dictis colligitur, legem humanam obligare cum vitæ dispendio, quando ejus violatio redundat in contemptum legislatoris; ut si quis comminando mortem alteri, induceret eum ad frangendum jejunium Ecclesiæ, vel ad omittendum sacrum in die festo, in odium Ecclesiasticæ potestatis, vel in contemptum fidei aut cultûs divini, tunc enim ille etiam cum vitæ dispendio præceptum Ecclesiæ observare deberet, quia majoris momenti & utilitatis est, defensio fidei & Ecclesiasticæ potestatis, quam vitæ propriæ conservatio. Sicut Eleazarus 2. Machab. 6. laudabiliter mortem sustinuit, ne legem Mosaicam violaret, & carnes porcinas ederet, quia in odium & contemptum legis ac religionis Judaicæ eas edere compellebatur.

§. II.

Solvuntur objectiones.

62. **C**ontra primam partem nostræ conclusionis objicit Almainus: Conservare vitam est de lege naturæ: Ergo nulla lex humana potest contrarium præcipere.

Verùm ad hoc solutio patet ex supra dictis, respondetur enim non esse legis naturæ conservare vitam in quocunque casu, sed potius naturali rationi consentaneum esse, ut vita possit exponi periculo, propter honestatem & necessitatem boni communis, præsertim si morte unius vitæ & salus plurimorum conservanda est.

63. **C**ontra secundam objicit Cajetanus: Lex humana obligat ad peccatum, ut articulo præcedenti ostensum est: Sed peccatum cum quovis periculo & dispendio evitandum est: Ergo lex humana cū quovis periculo & dispendio servanda est. Quod confirmat variis exemplis, in quibus aliquæ leges humanæ cum dispendio vitæ obligare videntur: homo enim (inquit) tenetur potius mori, quam contrahere matrimonium sine dispensatione cum consanguinea. Sacerdos debet potius mortem eligere, quam celebrare sine vestibus sacris, vel aliis lege tantùm humanâ requisitis. Item Innocentius III. cap. *Sacris*, *De iis que vi metusve causâ sunt*, docet ab excommunicatis abstinendū esse, etiam cum discrimine vitæ. Demum regula Carthusianorum non vescendi carnibus, etiam cum vitæ discrimine, ab ægrotis servari debet.

64. Huic etiam argumento facilè respondetur, legis humanæ obligationem cessare communiter, quando periculum vitæ, vel gravis alterius damni occurrit, ideò que non obligare eo casu ad peccatum, neque culpabilem esse ipsius omissionem.

65. **A**d exempla verò, in primis dico, quod quamvis vera essent, id nobis non obesset, quia non est par ratio aut necessitas in omnibus aliis legibus vel præceptis humanis.

Respondedo secundò, valde dubium & incertum esse, an leges humanæ in prædictis casibus cum vitæ dispendio obligent. In primis enim quoad primum exemplum multi docent posse aliquem metu mortis contrahere matrimonium si est cum consanguinea, absque consummatione, sicut de Malcho Monacho narrat D. Hieronymus in vita illius. Similiter multi existimant, metu mortis licitum esse sine veste sacra, & sine aliis jure humano requisitis, missam celebrare, nisi metus mortis incuriatur ad hoc faciendum in

Tom. III.

A contemptum religionis, vel legis, aut ob alium finem malum. Idem dicendum de communicatione cum excommunicato, illa enim licita est, si periculum mortis imminet, dummodo non cedat in dedecus & contemptum Ecclesiasticæ potestatis. Unde in cap. *Quoniam multos*, 11. quæst. 3. & cap. *Inter*, de sententia excommunicationis, dicitur propter famis necessitatem licitum esse communicare cum excommunicato, procurando subsidium, modò non cedat in dedecus Ecclesiæ.

B **A**d caput verò *Sacris*, respondet Soto lib. 1. de justitia quæst. 6. art. 4. illud caput intelligendum esse, interveniente scandalo plebis suspicientis leges Ecclesiasticas contemni. Alij dicunt intelligendum esse de metu incusso in contemptum censuræ Ecclesiasticæ. Alij de metu mortis levi, non excusante à legis obligatione & culpam penitus non excludente.

66. Demum ad regulam Carthusianorum, quæ ægrotis prohibetur usus carniū, etiam cum vitæ discrimine, respondet aliqui Doctores Parisenses, nempe Martinus de Magistris, Almainus, Gerson, Major, & alij, illam non solum non obligare, sed etiam, si ad vitæ periculum, teneri Carthusianum jure naturæ ad usum carniū, & peccare contra jus naturale de conservanda propria vita, si ab illis abstineat. Verùm hanc sententiam à veritate prorsus alienam existimo, motus primò auctoritate illius sanctissimi instituti, quod tacitè saltem approbatur ab Ecclesia, quæ ob summam illius facti Ordinis austeritatem, & exactam regulam observantiam, permittit ut ceteri omnes Religiosi, petita (licet non obtenta) facultate à superioribus, possint ad hanc Religionem transire. Secundò, quia sacratissima illa Carthusianorum lex, à miraculo inceptisse dicitur, quo carnes paratæ pro infirmo aliquo hujus Ordinis, in pisces conversæ sunt. Tertio, quia licet lex humana, ubi non continet jus naturale & divinum, cum periculo evidenti mortis non obliget, nihilominus non propterea sequitur, non posse quempiam cum tali periculo eam observare. Religiosus enim videns mortem suam accelerari ex observatione rigoris sui Ordinis, laudabiliter tamen, & cum merito, eam potest observare. Item homo gravi paupertate laborans, non tenetur ad vitam conservandam, pharmacum carissimi pretij emere, sibi que illud per omnium bonorum suorum jacturam & venditionem procurare. Potest etiam quis ad liberandum amicum exponere se periculo mortis, & in naufragio, patri, vel principi, vel egregio viro licitum est tabulam relinquere, cum eam posset quis commodè capere, & mortem vitare. Cur ergo pariter non poterit Carthusianus tutâ conscientia abstinere à carnibus, urgente ad id obligatione suæ regulæ, licet ex Medicorum commotione videat sibi mortem ex hac abstinentia imminere?

C **A**d illud quod dicitur, quod Carthusianus tenetur ad vitam conservandam, si ab illis abstineat, respondetur, quod licet lex humana, ubi non continet jus naturale & divinum, cum periculo evidenti mortis non obliget, nihilominus non propterea sequitur, non posse quempiam cum tali periculo eam observare. Religiosus enim videns mortem suam accelerari ex observatione rigoris sui Ordinis, laudabiliter tamen, & cum merito, eam potest observare. Item homo gravi paupertate laborans, non tenetur ad vitam conservandam, pharmacum carissimi pretij emere, sibi que illud per omnium bonorum suorum jacturam & venditionem procurare. Potest etiam quis ad liberandum amicum exponere se periculo mortis, & in naufragio, patri, vel principi, vel egregio viro licitum est tabulam relinquere, cum eam posset quis commodè capere, & mortem vitare. Cur ergo pariter non poterit Carthusianus tutâ conscientia abstinere à carnibus, urgente ad id obligatione suæ regulæ, licet ex Medicorum commotione videat sibi mortem ex hac abstinentia imminere?

E Respondent alij cum Victoria, relectione de temperantia, num. 8. & sequentibus, Carthusianum in extrema necessitate agritudinis constitutum, posse licitè à carnibus abstinere, non tamen teneri, sed posse etiam licitè eis vesci, si id iudicio Medicorum omninò sit necessarium ad vitam ruendam.

68. Ego probabilius censo cum nostro Aravio in Tractatu de legibus disp. 2. sect. 3. difficult. 2. Carthusianum in casu proposito, non solum posse, sed etiam teneri cum vitæ dispendio aut periculo, à carnibus abstinere; quia quidquid licitum est, præcipi potest, & fieri statuto necessarium, ad

boni communis incolumitatem. Addo quod, ut supra dicebamus, quotiescunque id quod præcipitur lege humanâ, ita conducit ad bonum commune, ut majus bonum commune sit, observare legem, quàm servare propriam vitam. tunc lex humana obligat etiam cum dispendio vitæ: Sed majoris momenti est conservatio strictioris observantiæ ac disciplinæ in toto Carthusianorum Ordine, quàm vita unius Carthusiani: Ergo in casu posito, non solùm potest, sed etiam debet ac tenetur Carthusianus à carnibus abstinere, ad boni communis incolumitatem, & strictioris observantiæ conservationem. Similiter etiam possunt ac debent aliorum Ordinum Religiosi, ex amore & reverentia suæ regulæ, ita illam servare, ut à morbo liberari nolint, si necesse sit constitutiones suæ Religionis violare, & si ex earum violatione, observantiæ regulæ non parùm tepesceret, & disciplinæ religiose vigor multùm immiueretur.

ARTICVLVS V.

Quinam legibus humanis teneantur?

Sub hoc titulo quatuor difficultates comprehenduntur, quæ hic breviter resolvendæ sunt. Prima est, an Principes & Legislatores suis legibus subjiciantur, easque servare teneantur? Secunda, an personæ Ecclesiasticæ legibus civilibus Principum secularium obligentur? Tertia, an Religiosi exempti teneantur Synodalia Episcoporum decreta servare? Quarta, an peregrini teneantur legibus loci per quem transeunt?

§. I.

Prima difficultas duplici conclusione resolvitur.

Dico primò, Princeps seu Legislatores suis legibus subditur, quoad potestatem directivam. Ita D. Thomas hic art. 5. ad 3.

69. Probatur breviter: Lex humana est regula humanorum actuum in ordine ad bonum commune: Atqui non solùm actus subditorum, sed etiam actus Principis & Legislatoris, qui debent conformari corpori & membris communitatis (aliàs deformitas maxima esset in illa, juxta illud Augustini 3. Confess. capite octavo, *Turpis est omnis pars suo universo non congruens*) sunt dirigibiles & ordinabiles in bonum commune: Ergo non solùm subditi, sed etiam Princeps & Legislatores subduntur legibus suis, quantum ad vim directivam.

70. Confirmatur: De ratione legis humanæ est, materiam à se præceptam constituere in aliqua specie virtutis moralis, ut rectè notavit Sotus lib. 1. de justitia quæst. 6. art. 7. Ergo lex humana semel posita, respicit & obligat omnes illos quos respicit & obligat virtus illa: Sed virtus moralis non solùm subditos, sed etiam Principes & Legislatores obligat: Ergo & lex humana. Unde L. *Digna vox, C. de legibus*, sic dicitur: *Digna vox majestatis regnantis est, legibus alligatum se Principem profiteri* Et L. *Princeps ff. de legibus: Pareto legi quisquis legem sanxeris*. Similia habentur in jure Canonico, cap. *Justum* dist. 9. his verbis: *Justum est Principem legibus obtemperare suis. Tunc enim jura sua ab omnibus custodienda existimat.*

A quando & ipse illis reverentiam præbet. Et ne vis deatur id consilij tantùm causâ dici, subditur: *Principes legibus teneri suis, nec in se posse damnare jura, quæ in subiectis constituunt. Justa est enim vocis autoritas eorum, si quod populis prohibent, sibi licere non patiuntur.* Demum Ambrosius ad Valentinianum Imperatorem Epist. 32. ita loquitur: *Quod cum præscripsisti, aliis præscripsisti & tibi. Leges enim Imperator fert, quas primus ipse constituit.*

Si autem quæras, unde hæc obligatio in Principe oriatur? Respondeo varia circa hoc esse Authorum placita. Nonnulli enim censent ad id teneri Principem ex tacito pacto & conventionione cum Republica, à qua sub hac conditione legislativam potestatem accepit, ut ipse à suis legibus non eximeretur. Alij hanc obligationem referunt ad voluntatem ipsius legislatoris, quæ seipsum in sua lege includit. Alij dicunt Principem obligari ad suas leges servandas, ratione scandali quod subditis præberet, si legem, quam aliis imponit, ipse non servaret, cum legis efficacia ex Principis exemplo maxime dependeat. Sed melius responderet cum Cajetano hic art. 5. hanc obligationem in Principe oriri ex ipsa lege naturali, quæ dicitur positâ lege positivâ obligante totam Republicam, obligari & Principem ipsum ad eam servandam, ut caput ejusdem mystici corporis, cum non minus contra rationem sit, caput discordare à membris, quàm membra à capite.

71. Duo tamen ibidem observat Cajetanus: Primò, *Cum dicitur quod Princeps subjicitur legi, non intelligitur de lege speciali, puta militum, nisi ipse sit miles; sed intelligitur de lege communi.* Secundum, *Cum Princeps subjicitur legi, intelligitur subjici proportionaliter, ut docet Princeps, & non sicut alios subditos.* Similia habet Soto loco supra citato, ubi hæc scribit: *Quando statuimus Principem legibus subdi suis, intelligimus de legibus quæ ex æquo ad ipsum perinde atque ad subditos spectant. Præcipit Rex, neminem gladio succinctum incedere, aut sericis induumi: non est par ratio cur ipse eisdem abstinere. Inducit autem Papa jejunium, aut festi solennitatem: eadem est æquitas in ipso, nisi iusta de causa secum, veluti cum aliis, dispensaverit.*

Dico secundò, Princeps seu legislator non subditur suis legibus, quoad vim coactivam seu coercitivam. Ita communiter docent Theologi cum S. Doctore supra citato.

72. Probatur ex discrimine quod reperitur inter vim directivam & coactivam seu coercitivam legis: vis enim directiva respicit ipsos actus licitos, vel illicitos, aut indifferentes; coactiva verò, seu coercitiva, penam inductivam ad observantiam legis: Sed Princeps non potest cogi vel puniri penâ inductivâ ad legis observantiam, cum nullum habeat superiorem à quo cogatur, & nemo propriè à seipso cogi possit, quippe cum istud contra ordinem naturæ pugnet: Ergo Princeps non subditur suis legibus quoad vim coactivam seu coercitivam, sed ab eis quantum ad obligationem penæ subeunda solutus est. Unde eò cautius, vigilantiusque debent Principes suas leges servare, quòd ad earum penam subeundam à nullo in terris cogi possunt, ne acerbius patiantur à supremo Judice Deo, cujus manus nemo effugere potest. Hinc teste Glossâ allusit David Psalm. 50. Deo dicens: *Tibi soli peccavi*, quasi diceret: Nullum in terris superiorem agnosco, qui meum peccatum judicare, ac punire queat,

nisi te solum, ac proinde tibi soli illud quoad condignam pœnam subijcio.

74. Notandum tamen, hanc conclusionem intelligi debere de Principe absoluto non habente superiorem se; nam qui superiorem habent, non solum quoad vim directivam, sed etiam coactivam, obligantur ad leges à se latas servandas. Talis fuit olim Archidamus, Lacedæmonum Rex, quem, teste Plutarco, lib. de liberis educandis, Lacedæmones pecuniâ mulctarunt, eò quòd contra legem consuetudine receptam, uxorem pu-killi corporis duxisset. Talis etiam est hodie dux Venetorum, qui licet cum Republica leges ferat, sitque superior singulorum, eisque præcipere possit, quando pro bono Reipublicæ expedire judicaverit; ipse tamen subditur legibus, etiam quoad vim coactivam, cum habeat Rempubli-
cam se superiorem à qua ad pœnam subeundam cogi potest. Talis denique est quivis Generalis respectu suæ Religionis, qui etsi cum aliis in capitulo generali leges ferat, sitque superior singulorum, eisque præcipere possit, quoties id ad publicam Religionis bonum expedire judicaverit; ipse tamen subijcitur legibus totius Religionis, etiam quoad vim coactivam, cum habeat totam Religionem superiorem se, à qua cogi potest.

§. II.

Secunda & tertia difficultas breviter resolvuntur.

75. **D**ico tertio, Clerici non obligantur legibus civilibus Principum secularium, quoad vim coactivam, bene tamen quoad vim directivam, & ex æquitate naturali, ratione conformitatis cum aliis membris Reipublicæ.

Prima pars est certa, cum Clerici sint exempti à jurisdictione Principum secularium cap. *Decernimus*, de judiciis. Et cap. *Sanctæ Mariæ*, de constitutionibus. Et cap. *Seculares*, de foro competenti in 6. Solum difficultas est, an exemptio à legibus & jurisdictione Principum secularium conveniat Clericis jure divino, vel solum jure humano, & Principum secularium favore. Canonistæ enim & ex Theologis quam plures dicunt exemptionem hanc Clericorum esse non solum de jure humano, sed etiam divino. Quod colligunt ex Scriptura sacra, ex novo quidem testamento ex illa Christi illatione Matth. 17. *Ergo liberi sunt filij*, à legibus scilicet tributorum, quæ Regibus dantur: ex veteri verò testamento, ex Genes. 47. ubi Joseph omnem terram Ægypti subjecit Pharaoni, *Præter terram sacerdotum*. Alij verò censent, hanc Clericorum exemptionem non esse ex jure divino, sed solum humano, nihil enim ex prædictis Summorum Pontificum constitutionibus, & Principum secularium favore, quod tamen jus humanum, juri naturali & divino maximè consentaneum est. Cui sententiæ favere videtur D. Thomas in illud ad Roman. 13. *Id est tributa*. Nam ibi loquens de obligatione solvendi tributa ait: *Ab hoc debito liberi sunt Clerici ex privilegio Principum, quod quidem æquitatem naturalem habet.*

Secunda etiam pars communiter docetur à Doctoribus, & ex eo constat, quod Clerici non obtinente clericali sunt civēs Reipublicæ, & ejus membra: Ergo ex naturali æquitate, & ratione conformitatis cum aliis membris Reipublicæ, tenentur observare leges civiles Principum sæcu-

larium, quæ non derogant privilegii Clericorum, & ad pacem & tranquillitatem Reipublicæ spectant; non secus ac ipsi Principes ac Legislatores, ex naturali æquitate, & titulo moralis conformitatis capitis cum suis membris, ad suas leges servandas obligantur, ut §. præcedenti ostensum est; cum non minus rationi dissentaneum sit, unam partem communitatis discrepare à reliquo corpore, quam caput à membris. Unde ut ait Sylvester, verbo *Lex*, quæst. 25. *Omnes leges disponentes supra contractibus emptionis, venditionis, locationis, commodationis, & hujusmodi, si non contradicunt canonibus, vel legi natura, sunt servanda, etiam quoad Ecclesiasticas personas.* Si Rex etiam legem ferat, ne aliquis noctu tale genus armorum deferat, illam Clerici servare tenentur.

Dico quarto, Religiosi exempti non tenentur legibus Episcoporum, virtute earum, sed solum propter æquitatem naturalem, ratione conformitatis cum aliis, si ad communem observantiam & devotionem totius populi spectent. 76.

Prima pars patet, quia tales Religiosi sunt exempti à jurisdictione Episcopali, ut Clerici à seculari. 77.

Secunda etiam non est minus evidens. si enim Clerici, etsi exempti sint à jurisdictione Principum secularium, tenentur nihilominus, ob æquitatem naturalem, & ratione conformitatis cum aliis membris Reipublicæ, eorum leges, statui & privilegii Clericorum non repugnantes, servare, ut præcedenti conclusionem declaravimus, à fortiori Regulares, quamvis à jurisdictione Episcoporum exempti, ex æquitate naturali, tenentur eorum leges, ad communem observantiam & devotionem totius populi spectantes, observare, seque accommodare toti communitati in iis quæ statui & privilegii Regularium non prejudicant. Unde Tridentinum sess. 25. cap. 12. de reformatione Regularium: *Censura & interdicta, ne dum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque serventur. Dies etiam festi, quos in diocesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, serventur.*

§. III.

Ultima difficultas expeditur.

78. **D**ico quinto, illi qui sunt in territorio alieno, sive transeundo, sive immorando, non tenentur servare leges particulares proprii territorij, subindeque peregrini & advenæ, non tenentur legibus loci per quem transeunt.

E Prima pars probatur, quia jurisdic-tio uniuscujusque civitatis vel principis particularis, non extenditur quoad leges ferendas extra civitatem seu territorium, ut docet Bartolus in lege prima Codicis de *summa Trinitate* num. 14. colligiturque ex lege *Omnes populi*, ff. de justitia & jure: ubi lex dicitur jus proprium civitatis. Sicut ergo agentia naturalia non agunt extra spheram activitatis, defectu potestatis: ita quia jurisdictionis activitas limitatur infra proprium territorium, lex extra ipsum non obligat. Unde cap. 1. de *Constitutionibus* in 6. dicitur pœnam latam per statutum Episcopi, non incurri ab eo qui extra territorium non servat illud statutum; quia, inquit, *extra territorium sui dicenti non paretur impune*.

ut dicitur lege ultimâ ff. de *jurisdic. omni* A
judicium.

79. Ex quo probata manet secunda pars, si enim
existentes in territorio alieno, quamvis obiter &
in transitu, statim ac exeunt, hoc ipso liberantur
à legibus proprii territorii, obligantur pariter le-
gibus territorii alieni, eo ipso quod in eo sunt,
quamvis obiter & in transitu. Si enim brevis ab-
sentia sufficit ad eximendum à subjectione legis
proprii territorij, debet quoque sufficere brevis
præsentia ad subiiciendum legibus alieni territo-
rij. Par enim est ut sentiat onus, qui sentit commo-
dum, ut dicitur regulâ 55. de regulis juris in 6.

80. Confirmatur ab inconvenienti quod sequitur
ex adversa sententia, cum enim peregrini & ad-
venæ, ut ostendimus, leges proprii territorii à
quo discesserunt servare non teneantur, si non te-
nerentur legibus loci per quem transeunt, nullis
legibus particularibus obligarentur; atque ita si
esset lex aliqua particularis, quæ tam in proprio
territorio, quam in loco per quem transeunt,
servaretur, ab illa fierent prorsus immunes, quod
absurdum est.

81. Dices: Nemo fit alteri subditus, nisi ratione ori-
ginis, vel domicilij, vel delicti: At peregrini non
sunt subditi Principi loci per quem transeunt, ra-
tione originis, ut per se patet; nec ratione de-
lictî, posito quod non deliquerint in ter-
ritorio alieno; nec etiam ratione domicilij, aut
quasi domicilij, cum ad domicilium acquirendum
requiratur habitatio perpetua, vel quæ saltem
non sit minor majoris anni parte: Ergo peregrini
non tenentur legibus loci per quem transeunt.

Respondeo distinguendo Majorem: Nemo fit
alteri subditus permanentiter, nisi ratione originis
vel domicilij, vel delicti, concedo Majorem.
Transeunt, nego Majorem. Ad obligationem
enim & subjectionem transeuntem, sufficit brevis
præsentia, quemadmodum ad transeuntem exem-
ptionem à jurisdictione proprii territorii, sufficit
brevis & transiens absentia.

§. IV.

Corollaria notata digna.

82. EX dictis colligitur primò, advenas & peregrini
nos transeuntes per loca in quibus festum ali-
quod celebratur, si sint ibi toto mane diei festi,
teneri sacrum audire, non tamen ibi commorari
ut audiant. Similiter etiam tenentur quandiu ibi
sunt, abstinere ab opere servili die festo, & à ci-
bis prohibitis in die jejuniij. Unde cap. *Ille* dist. 12.
refertur illud Ambrosij ad Augustinum: *Cum*
Romam venio, jejuno sabbato, cum Mediolani
sum, non jejuno. Sic etiam tu ad quam foris Ec-
clesiam veneris, ejus morem serva. Ubi glossa ait: *E*
Viatores tenentur sequi consuetudinem loci ad
quem veniunt.

83. Colligitur secundò, abeuntem mane ex proprio
domicilio, in quo jejunium obligat, & nocte per-
venientem ad locum ubi jejunium non obligat,
posse nocte carnare, carnesque comedere, cum
descendens non teneatur servare leges sui domicilij,
sed possit sequi leges favorabiles loci per quem
transit.

84. Colligitur tertio, non posse Mediolanensem
transeuntem per loca ubi diebus quatuor ante pri-
mam Dominicam Quadragesimæ jejunatur, non
jejunare, quia tenetur servare leges & consuetu-
dines loci per quem transit. Similiter ob eandem

rationem non possunt Hispani transeuntes per
Galliam, Italiam, vel Germaniam, animalis ex-
tremities & intestina die sabbati comedere,
quamvis hoc eis liceat quando sunt in Hispania,
ex privilegio speciali ipsis concessio per bullam
cruciatam.

Colligitur quartò, irritum esse matrimonium
clandestinum contractum in loco ubi Tridenti-
num servatur ab incolâ loci ubi Tridentinum non
servatur: contra verò ratum ac validum fore ma-
trimonium clandestinum, celebratum in loco ubi
Tridentinum non servatur, ab incolâ loci in quo
Tridentinum servatur; Tum quia ut diximus ad-
venæ & peregrini subiiciuntur legibus loci per
quem transeunt, & possunt uti privilegiis & ex-
emptionibus, quibus gaudent incolæ illius loci:
Tum etiam, quia matrimonium, cum sit quidam
contractus civilis & humanus, sequitur leges &
consuetudines loci in quo celebratur. Quod adeò
verum putant aliqui, ut asserat, quod tamen si quis
eo animo ad locum illum in quo Tridentinum
non servatur se transferret, ut ibi clandestinè
contraheret, valerit matrimonium; cum hoc
non tam sit fraus, quam usus proprii juris, quod
quis à lege habet validè contrahendi in loco Ca-
nonico jure ab onere & conditione per Tridenti-
num statuta exempto. Ita Sanchez lib. 3. de ma-
trimonio disp. 18. Idem alij censent de jejunio,
& observatione diei festi, existimant enim quod
etiam si quis ex industria recederet ab illis locis,
ubi jejunium vel dies festus celebratur, ut labo-
raret in alio loco, vel ibi non jejunaret, sed car-
nes comederet, non peccaret, quia (inquiunt)
hoc non esset fraus vel dolus, sed fuga quædam
obligationis præcepti, quæ contra præceptum
non est.

Colligitur quintò, vagos qui nullibi domici-
lium habent, nec ullibi diu morantur, teneri le-
gibus loci per quem transeunt; quia per transi-
tum aut brevem moram in locis illis, sunt legi-
bus illorum subditi, eò quòd, ut supra dicebamus,
ad obligationem & subjectionem transeun-
tem sufficit brevis præsentia; quemadmodum
ad transeuntem exemptionem à jurisdictione
proprii territorii, sufficit brevis & transiens ab-
sentia.

DISPUTATIO VI.

De lege pœnali.

HUc usque diximus de lege humana in
communi. Jam de quibusdam illius spe-
ciebus, quæ peculiarem habent difficul-
tatem, differendum est. Ac primò de lege pœnali,
cujus ratio valde ab aliis differens, speciali decla-
ratione & disputatione indiget.

ARTICULVS PRIMVS.

An & quotuplex dari possit lex pœnalis?

Dico primò, dari posse legem purè pœnalem.
Probat, quia nihil impedit quominus
legislator ejusmodi legem ferre possit, quid enim
impedit quominus prohibeat aliquid fieri à sub-
ditis suis, non absolutè quidem, sed conditio-
natè

natè, hoc est nisi velit pœnam subire? Sicut aliquis per votum hanc privatam legem pœnalem sibi potest imponere, vovendo scilicet se nunquam lufurum, vel si ludere contingat, se datum elemosynam pauperibus. Talis autem lex, quam sic ferret legislator, esset vera, & merè pœnalis, ut constabit ex dicendis conclusione sequenti: Ergo lex merè pœnalis dari potest.

2. Dico secundò, multiplicem esse legem pœnalem.

Probatur: Lex enim pœnalis dividitur primò in eam, quæ pœnam tantum comminatur, ita ut non incurratur, nisi accedat iudicis sententia, vel executio; & in eam, quæ ipso facto pœnam infligit, & per se ipsam exequitur, vel obligat reum ad exequendum, non expectat iudicis sententiã aut executionem.

3. Dividitur secundò in purè pœnalem, & mixtam. Mixta dicitur illa quæ continet duo præcepta: unum faciendi actum quem præcipit, vel abstinendi ab actu quem prohibet; alterum, exequendi vel subeundi pœnam appositam, nisi fiat actus præceptus, vel nisi abstinetur ab actu prohibito. Purè verò pœnalis illa est, quæ unum tantummodo præceptum disjunctivum continet, nimirum vel faciendi actum præscriptum, vel subeundi pœnam appositam; ita ut ad parendum legi & vitandum peccatum, alterutrum sufficiat; potest enim legislator utroque modo præcipere aliquem actum, nimirum vel absolute obligando ut fiat, vel conditionatè tantum, ut vel fiat, vel subeat pœna adjuncta; nolens præcisè & determinatè obligare in conscientia ut fiat, sed contentus illo modo coactionis, & impellens solum timore pœnæ ad faciendum; sicut enim liberum illi est præcipere vel non præcipere talem actum, ita & illum absolute vel conditionatè præcipere.

4. In his omnes ferè Theologi conveniunt, sed difficultas & controversia est inter illos, an quando legislator condendo legem pœnalem, nihil exprimit de obligatione ad culpam, lex pœnalis ad eam obliget, vel solum ad pœnam: Triplex enim circa hoc versatur Authorum sententiã. Prima asserit, nullam legem humanam pœnalem obligare ad aliquam culpam, sed solum ad pœnam, nisi legislator id expresserit suã lege, vel antea per aliquam legem divinam vel humanam non pœnalem, idem præceptum sit. Ita Navarrus in summa cap. 23, & Valentia hic disp. 7. quæst. 5. puncto 6.

5. Secunda distinguit inter legem purè pœnalem, & mixtam, primamque docet non obligare ad aliquam culpam, sed solum ad pœnam, nisi legislator id suã lege expresserit; aliam verò & ad culpam & ad pœnam obligare, quamvis id legislator non exprimat. Hanc tenent Alphonsus à Castro lib. 1. de lege pœnali cap. 8. & 9. cui subscribunt Suarez, Vazquez, Mæratius, & alij.

6. Tertia verò existimat, omnem legem pœnalem, sive puram, sive mixtam, obligare non solum ad pœnam, sed etiam ad culpam, nisi legislator contrarium expresserit. Ita Magister Soto lib. 1. de justitia quæst. 6. art. 5. Sylvester verbo *Inobediencia*, Armilla eodem verbo, num. 2. & Bellarmus lib. 3. de membris Ecclesiæ cap. 11. & communiter Discipuli D. Thomæ. Quæ sententiã probabilior est, & principiis præcedenti disputatione statutis conformior; nam, ut ibi dicebamus, obligatio in actu secundo ad culpam, consequitur legem per modum proprietatis, impedibilis tamen à legislatore: Ergo positã verã lege, qualis est pœnalis, statim sequitur obligatio ad culpam,

Tom. III.

nisi legislator ferendo talem legem, declarat se non intendere obligare ad culpam.

Confirmatur primò: Leges humane, quæ absque pœnæ comminatione ponuntur, ad culpam obligant, ut omnes fatentur: Ergo & illæ quæ statuuntur cum comminatione pœnæ. Probatur Consequentia, quia impositio pœnæ non tollit obligationem ad culpam, sed indicat illam, nam ut ait Augustinus lib. 1. Retract. cap. 9. *Omnis pœna, si justa est, peccati pœna est, & supplicium nominatur.*

Confirmatur secundò: Diversæ leges pœnales diversas imponunt pœnas: Ergo præsupponunt diversas culpas, si aliunde legislator contrarium non exprimat; non enim existimandum est, legislatores diversas & graviores pœnas infligere, nisi pro diversis & gravioribus culpis.

Confirmatur tertio: Lex quam imposuit Deus primis parentibus, fuit pœnalis, ut patet ex illis verbis Genes. 2. *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris*: At certum est de fide, eam obligasse ad culpam: Ergo lex pœnalis obligat ad culpam, nisi contrarium legislator expresserit.

Objicies primò: Omnis lex, maximè pœnalis, benignè interpretanda est, quando aliud non constat de mente legislatoris: Ergo quando in lege pœnali legislator suam non exprimit voluntatem obligandi ad culpam, existimandum est, ipsum obligare ad solam pœnam. Consequentia videtur manifesta, nam aliàs non benignè, sed valde odiosè, mentem legislatoris interpretaremur.

Respondeo quod licet omnis lex, maximè pœnalis, benignè interpretanda sit, hoc tamen debet fieri juxta naturam ipsius legis, non verò extrahendo illam à suo statu connaturali: unde cum pertineat ad statum connaturalem legis, ut obliget ad culpam, nisi contrarium legislator exprimat, ut constat ex dictis, eam ad culpam obligare censendum est, nisi oppositum legislator expresserit.

Objicies secundò: Aliquando incurritur irregularitas, quæ pœna est lege imposita, absque aliqua culpa, ut irregularitas bigamiæ, & occisionis justæ, & similiter pœna interdicti, comprehendens innocentes: Ergo lex pœnalis obligat ad solam pœnam, non verò ad culpam, quando legislator legem condendo, nullam obligationis ad culpam mentionem fecit.

Respondeo quod irregularitates illæ non habent propriè rationem pœnæ, sed dicuntur à jure irregularitates significationis, quæ absque culpa incurruntur; unde leges illas statuentes, non sunt leges pœnales, de quibus procedit difficultas, & sic argumentum non est ad rem. Ad illud verò quod additur de interdicto, respondeo quod semper imponitur propter culpam alicujus; unde lex præcipiens aliquid sub pœna interdicti, obligat non solum ad pœnam, sed etiam ad aliquam culpam: quod autem aliqui puniantur sine culpa propria, propter culpam aliorum, multoties expedit in ordine ab bonum commune, sed tunc illa punitio non habet propriè rationem punitivam seu pœnæ respectu illorum qui patiuntur, sed respectu illius qui culpam commisit, qui non solum punitur in se, sed etiam in aliis, qui sunt aliquid illius, utpote compartes ejusdem communitatis.

Objicies tertio: Votum pœnale solum obligat ad pœnam, si enim aliquis voveat se non lufurum sub pœna recitandi rosarium, vel dandi elemosynam pauperibus, satisfacit, frangens votum, si rosarium recitet, vel pauperibus elemosynam

A A a

largiatur: Ergo idem dicendum est de lege pœnali. Patet consequentia, à paritate rationis; votum enim est quasi quædam privata lex, quam vovens sibi imponit, sicut lex Principis aut Legislatoris, est lex communis toti communitati imposita.

15. Respondeo hoc argumentum desumptum ex analogia & proportionem, quæ reperitur inter legem & votum, magis nobis favere, quàm nocere, magisque confirmare quàm infirmare nostram sententiam. Sicut enim si vovens quando emisit votum, solum intenderit se ad aliquam pœnam obligare, & nullo modo ad culpam, non obligatur nisi ad pœnam; secus verò si absolute voverit, & votum emittendo non expresserit quod nolle se obligare ad culpam, sed solum aliquam sibi imponere pœnam, posito quod votum non impleverit. Ita similiter nos dicimus, quod si legislator condens legem pœnalem, solum intendat subditos obligare ad pœnam, & intentionem suam exprimat, talis lex non obligat ad culpam, sed tantum ad pœnam: è contra verò si legislator id non exprimat, & legem absolute condat, non solum ad pœnam, sed etiam ad culpam subditos obligat, quia, ut supra dicebamus, obligatio ad culpam consequitur legem per modum proprietatis, impedibilis tamen à legislatore; unde si legislator non impediat ne obligatio ad culpam legem consequatur, volendo quod ad culpam non obliget, idque declarando & exprimendo, reverà obligat ad culpam, & non solum ad pœnam.

ARTICVLVS II.

An leges pœnales obligent in foro conscientie ad pœnam subeundam ante Iudicis sententiam?

§.

Quibusdam præmissis referuntur sententia, & vera eliguntur.

16. **N**Otandum primò: Leges pœnales quandoque continere pœnas non latas, sed ferendas; aliquando verò pœnas latas continere. Tunc censentur continere pœnas ferendas, quando in illis non exprimitur hæc particula, *ipso facto*, *ipso jure*, aut alia similis: cum enim leges pœnales odiosæ sint, in benigniorem partem sunt interpretandæ, si contrarium aliunde non constet. Tunc verò censentur continere pœnas latas, quando in ipsis exprimitur illa particula, *ipso facto* &c. Præsens ergo difficultas non procedit de legibus continentibus pœnas ferendas (istas enim manifestum est non obligare ad pœnam statim subeundam, sed committere pœnam Iudici, ut illam infligat) sed de legibus continentibus pœnas latas.
17. Notandum secundò, pœnas latas esse in duplici differentia: quædam sunt passivæ, quæ consistunt in pura privatione, ut excommunicatio, irregularitas, suspensio &c. Aliæ sunt activæ, quæ requirunt aliquam actionem executivam talis pœnæ, v. g. pœna mortis, exilii, aut spoliatio- nis bonorum. His præmissis
18. Circa propositam difficultatem triplex versatur sententia. Prima docet, nullam legem pœnalem obligare ad pœnam, etiam privativam, ante iudicis sententiam, unâ Ecclesiasticâ lege exceptâ de excommunicatione ipso facto incurrenda, quæ quia hominem privat, non propriis, sed alienis

A Ecclesiæ bonis, quorum per excommunicationem definit homo esse particeps, justè ab Ecclesiâ imponi potest ipso facto incurrenda ante ullam iudicis sententiam. Ita Soto lib. 1. de Iustitia quæst. 6. art. 6.

Secunda è contra asserit, legem humanam posse obligare in conscientia ante omnem sententiam ad quamcumque pœnam, sive privativam, sive positivam, sive gravem, sive levem, illâ tantummodo exceptâ, quæ malitiam includeret, si ab ipsomet reo executioni mandaretur, cuiusmodi est occisio seu mutilatio sui ipsius. Ita videntur sentire Alphonsus à Castro lib. 2. de lege pœnali cap. 5. & 8. & sequentibus, Felinus, & alij Canonistæ, in capite primo de Constitutione.

B Tertia verò fateatur quidem legem humanam posse obligare in conscientia ante omnem sententiam, ad quamcumque pœnam passivam seu privativam, non tamen ad pœnam activam, seu quæ ad sui executionem aliquam actionem requirit. Hanc docet Cajetanus 2. 2. quæst. 62. art. 3. & Serra hæc quæst. 6. art. 4. dubio 3. cum quibus dico primò, legem humanam posse obligare in foro conscientie, ante sententiam iudicis, ad quamcumque pœnam passivam seu privativam, seu quæ ipsius rei actionem & executionem non requirit.

C Probatur primò: Leges quæ imponunt pœnas excommunicationis, suspensionis, interdicti, & irregularitatis, possunt obligare ad illas, ante sententiam iudicis, ut fateatur Soto: Ergo & imponentes quasunque alias pœnas, quæ ad executionem nullam requirunt actionem.

Nec valet discrimen quod ille Author inter excommunicationem & alias pœnas adducit, nimirum quod excommunicatio & aliæ censuræ Ecclesiasticæ, privant solum hominem bonis communibus, quorum Ecclesiâ est dispensatrix; aliæ verò pœnæ privant hominem bonis suis propriis, quæ iure particulari possidet. Non valet, inquam, tum quia sæpè majoris momenti & æstimationis sunt bona communia, quàm privata; tum etiam quia excommunicatio non tantum aufert bona communia, sed etiam propria, nempe vocem eligendi, & capacitatem ut quis eligatur. Addo quod non desunt leges pœnales, quæ de facto ante iudicis sententiam, reum privant propriis bonis, ut lex, quæ parochiali beneficio privat eum, qui intra annum post acceptum beneficium sacerdotium non suscipit: lex, quæ fructibus beneficii privat officium non recitantem: lex, quæ Episcopum ad fructuum perceptorum restitutionem obligat, si post tres menses munus consecrationis non susceperit, quæque eundem, si intra totidem menses postea id non fecerit, Episcopatu ipso spoliatur, ut constat ex Tridentino sess. 23. de reformatione cap. 1. Demum Ecclesiâ in pœnam criminis reddit aliquos inhabiles ad matrimonium ipso facto, nimirum adulteros, spe futuri matrimonij adulterantes, aut mortis conjugis reos; talium enim matrimonium ante omnem sententiam irritum est.

D Dixi autem legem humanam posse obligare ante sententiam iudicis ad quamcumque pœnam passivam, seu privativam, quia non semper de facto obligat, sed potest aliter disponi in iure communi aut particulari, ut in nostri Ordinis constitutionibus disponitur, nam in earum prologo sic dicitur: *Panis tamen absolutionis ab officio, privationis vocis activæ, vel passivæ, gravioris culpæ.*

E

& aliis majoribus (quantumcumque tam in constitutionibus quam extra ipso facto sint incurrendae) nisi sit poena excommunicationis lata sententiae, nullus sit subiectus, nisi superveniat declaratio Praelati in particulari respectu hujus, quantumcumque etiam notorium facti, vel juris, aut utriusque interveniat.

Dico secundò, regulariter & ordinariè loquendo, legem humanam non obligare in conscientia ante condemnationem & sententiam judicis, ad poenam activam, seu quae ad sui executionem aliquam rei actionem requirit.

22. Probatur primò: Ex Ifidoro & D. Thoma lex humana debet esse possibilis secundùm naturam & consuetudinem patriae, id est tolerabilis, & accommodata humanae conditioni: Atqui lex obligans hominem ad exequendum in se poenam legis per propriam actionem, ante judicis sententiam, non esset tolerabilis, & accommodata humanae conditioni, sed intolerabilis & nimis dura, ut constat communi omnium consensu, & attestatur ipsa inclinatio naturalis, quae hoc abhorret & refugit: Ergo lex humana ordinariè loquendo non obligat hominem ad exequendum in se poenam legis per propriam actionem, ante judicis sententiam, sed sufficit si poenam ab alio inflictam patiarur. Dixi, ordinariè loquendo, ad innuendum quod interdum leges humanae ad id obligare possunt, maximè cum ad levem poenam obligant. Nam in aliquibus Religionibus praecipitur recitatio alicujus orationis, aut levis aliqua castigatio, iis qui legem aliquam seu constitutionem violant, absque eo quod sit opus sententiæ vel declaratione praelati.

23. Probatur secundò conclusio: Executio poenae per actionem positivam, est actus judicis sive ministri publici: Ergo reus non tenetur ante judicis sententiam exequi in seipso poenam requirentem aliquam actionem positivam ad hujusmodi executionem. Consequentia est evidens, tum quia reus non tenetur exequi nisi illa quae sunt rei, non verò illa quae sunt judicis, maximè in causa propria, in qua nemo est reus iudex. Tum etiam quia reus solum tenetur pati, cum ad id solum obligetur per legem poenalem; imò eundem hominem esse agentem & patientem passione afflictivâ, ipsa natura refugit. Antecedens verò probatur: Punio quae pertinet ad executionem poenae, est actus legis, tenens se ex parte illius, ut disp. 1. ostensum est: Ergo cum lex sit justitia quaedam inanimata, eget ministro vivo, nempe iudice, qui ideo dicitur justitia animata ab Aristotele 5. Ethic. ut applicet poenam reo, agendo in ipsum per punitionem: Ergo executio poenae est actus judicis, sive ministri publici. Hanc rationem insinuat S. Thomas, 2. 2. quæst. 62. art. 3. ubi sic ait: *Quantum ad culpam adhibetur remedium per poenam, cujus inflictio pervenit ad iudicem. Et ideo antequam sit condemnatus per iudicem, non tenetur restituere plusquam accepit; sed postquam condemnatus est, tenetur poenam solvere.*

24. Probatur tertio: Leges humanae propter crimen haereticis (& idem est de criminelæ Majestatis) decernunt poenam confiscationis omnium bonorum, ipso jure & facto, ut patet ex cap. *Cum secundum leges*, de haereticis in sexto, & cap. *Vrgentis*, de haereticis: Sed non obligant ad hanc poenam in foro conscientiae, ante judicis sententiam, ut ex iisdem capitibus colligitur: Ergo similiter aliae leges poenales, alias poenas positivas imponentes, non obligant ad illas subeundas, ante

Tom. III.

A sententiam judicis; v. g. lex lata contra defraudantes tributa, non obligat illos ad tradendum merces suas silco, ante sententiam judicis; alioquin legis transgressor seipsum prodere cogetur, quod esset intolerabile, & contra illam Chrysolomi sententiam, non dico tibi ut te prodas in publicum, quae refertur can. *Quis aliquando*, de poenit. dist. 1.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò cum Soto contra primam conclusionem: Contra jus naturae est, ut quis damnetur, antequam audiat; Ergo etiam contra jus naturae erit ut quis ad poenam sive positivam sive privativam obligetur, ante judicis sententiam. Consequentia patet, Antecedens verò probatur, tum ex Gregorio cap. *Susceptis*, de casu possess. propriet. ubi ait: *Nos contra inauditam partem nihil possumus desinare.* Ubi Sotus expendit verbum *possumus*; non enim dixit, *non volumus*, sed *non possumus*, naturâ id vetante. Tum ex canone *Judex 2.* quæstione 1. ubi dicitur, nemo condemnetur, nisi aut per innocentes testes convincatur &c. Tum ratione, sæpè enim qui legem violavit, allegare potest vel ignorantiam, vel infirmitatem, vel vehementem aliquam tentationem, vel fortasse quod non tam graviter in legem impeggerit, ut dignus sit totius poenae acerbitate.

Confirmatur: Nemo potest in propria causa esse sui iudex: Ergo nemo tenetur ante judicis sententiam poenam subire, tamen si poena illa non sit positiva, sed duntaxat privativa, & nullam ad sui executionem rei actionem requiratur.

Ad objectionem respondeo, Antecedens verum esse de damnatione quae fit per judicis sententiam, non verò de illa quae fit per legem; quia cum fit per judicis sententiam, debet omni meliori modo delicti causa à iudice examinari, ac proinde oportet illam non solum ex testium iudicio, sed etiam ex ipsius delinquentis confessione examinare: cum autem fit per legem, relinquitur iudicio & conscientiae ipsius delinquentis, qui melius quam quisvis alius potest de suo delicto judicare, an poenam lege taxatam meruerit.

Addo quod, si hoc argumentum Soti valeret, sequeretur quod excommunicatus ipso facto, non posset ante judicis sententiam, poenam excommunicationis subire, cum etiam excommunicatus possit excusationis causas assignare, nec in proprio delicto sui iudex esse possit. Quare sicut contra naturam non est, ut quis sit sui iudex in causa excommunicationis, & in cæteris legibus supra citatis, in quibus ante sententiam judicis reus privatur beneficiis Ecclesiasticis; ita neque erit contra naturam esse sui iudicem in aliis legibus, quae poenas privatas ipso facto incurendas pro aliquibus criminibus statuunt, cum non sit major ratio de illis, quam de istis. Ex quo patet ad confirmationem.

Objicies secundò contra secundam conclusionem: Legislator habet potestatem obligandi in conscientia ad poenam justam, ante judicis sententiam, tamen si talis poena ad sui executionem requiratur actionem ipsius rei, si ad talem poenam obligare voluerit: Sed hanc suam voluntatem applicat per illam particulam legis, *ipso facto*, aut *ipso jure*, quia per nulla verba potest commo-

A A a ij

dius aut melius explicari: Ergo leges pœnales A continentes pœnas latas, obligant ante iudicis sententiam, tamen illæ pœnæ, ad sui executionem ipsius rei actionem requirant.

29. Confirmatur primò: Si huiusmodi leges non obligarent ante iudicis sententiam, illæ particulae, quæ in illis apponuntur, scilicet *ipso facto*, vel *ipso iure*, frustraneæ essent, quod præcipue urget de particula illa, quæ interdum legibus illis superadditur, nempe quod ipso facto, & sine alia declaratione, pœna incurratur.

30. Confirmatur secundo: Illæ particulae sufficiunt, ut incurratur pœna excommunicationis, suspensionis, & irregularitatis, ante iudicis condemnationem, ut omnes fatentur: Ergo idem erit de aliis pœnis, tamen positivæ sint, & ad sui executionem, aliquam rei actionem requirant.

31. Ad objectionem respondeo, legislatorem habere quidem potestatem obligandi in foro conscientia ad pœnam justam, ante sententiam iudicis, tamen talis pœna requirit actionem ad sui executionem, si id expediat bono communi; tunc enim illud non est existimandum intolerabile, & ipse reus tenebitur exercere simul utramque rationem rei & ministri ipsius legis; quia tamen regulariter loquendo, hoc non expedit bono communi, & esset nimis rigidum & intolerabile, præsertim si pœna ipso facto subeunda, gravis & acerba sit, & naturæ valde repugnans, legislator, regulariter loquendo, non obligat ad subeundam pœnam, ante sententiam iudicis, quando talis pœna ad sui executionem aliquam rei actionem requirit, sufficit enim bono communi, si patitur illam, post sententiam iudicis, eò vel maxime, quia exequi pœnam requirentem aliquam actionem, per se loquendo, non ad reum, sed ad iudicem, & ejus ministrum, pertinet, ut supra ostensum est.

32. Ad primam confirmationem, nego sequelam Majoris, licet enim leges humanæ non obligent ad talem pœnam, ante sententiam iudicis, particulae illæ, *ipso facto*, vel *ipso iure*, non ponuntur frustra in illis, quia aliquem alium effectum inducunt, nempe assignationem pœnæ, ipso facto, ita ut non requiratur sententia iudicis ad assignandam illam pro tali delicto, sicut requiritur in aliis legibus continentibus pœnam ferendam, sed solum ad declarandum crimen patratum fuisse à transgressore legis. Illa verò particula, *absque alia declaratione*, superaddita aliis præcedentibus, sumitur ad majorem præcedentium explanationem, unde nec superfluit, nec necesse est, ut habeat vim obligandi, ante iudicis sententiam.

33. Ad secundam, concessio Antecedente, nego consequentiam & paritatem, patet enim ex dictis in secunda conclusione, longè disparem esse rationem de pœnis privativis, ac de positivis, quæ ad sui executionem aliquam rei actionem requirunt.



ARTICVLVS II.

Verum transgressor legis pœnalis teneatur in conscientia subire pœnam legis, post iudicis sententiam?

§. I.

Quibusdam præmissis, difficultas proposita triplici conclusione resolvitur.

34. **N**otandum primò, seu potius ex dictis articulo præcedenti recolendum, duplex genus pœnæ lege humanâ statui posse: alterum consistens in pura passione, quæ ad sui executionem nullam requirit actionem, præter ipsum legislatoris imperium, aut iudicis sententiam, vel declarationem; ut sunt pœnæ inhabilitantes personas, irritantes contractus, & censura Ecclesiastica. Alterum est, pœnarum quæ ad sui executionem requirunt aliquam actionem, quæ exerceri potest vel ab ipso reo vel ab alia persona distincta. Quoad primum genus pœnæ, cum nullam requirat actionem, præter legislatoris imperium, vel iudicis sententiam, ad nihil tenetur reus ut illam incurrat, cum etiam illam invitatus pati possit, solumque tenetur postquam illam contraxit, nihil agere contra eam. Solum ergo difficultas est de pœnis secundi generis, an in iurum reus teneatur vel possit illas in se exequi, post iudicis sententiam, certum enim est, quod si sint justæ, & à iudice vel ministris ejus infligantur, eas post iudicis sententiam pati & sustinere tenetur, alias daretur bellum iustum ex utraque parte, etiam nullâ suppositâ ignorantia, quod implicat.

35. Notandum secundo, pœnas quæ ad sui executionem aliquam actionem requirunt, esse adhuc duplicis generis, quædam enim sunt quarum actio ad executionem requisita à nemine commodius exercetur, quàm à reo qui pœnam patitur, v. g. actio quæ requiritur ad executionem exilii, vel pœnæ pecuniariæ: alia quarum actio ad executionem requisita, commodius exercetur à iudice vel ministris ejus, v. g. actio quæ requiritur ad abscissionem capitis, vel mutilationis alicujus membri. Præterea actionum quæ commodius exercentur à iudice vel ministris ejus, quædam sunt violentæ, ut abscissio capitis; alia verò non violentæ, & quæ voluntariè exerceri solent, ut flagellatio seu disciplina, quam Religiosi solent sponte suscipere, ad carnis macerationem. His præmissis, pro resolutione difficultatis propositæ,

Dico primò, transgressor legis pœnalis tenetur in conscientia subire, post iudicis sententiam, pœnam illam quæ ad sui executionem requirit actionem quæ commodius exercetur à reo, non verò pœnam illam ad cuius executionem requiritur actio, quæ commodius exercetur à iudice vel ejus ministro.

36. Prima pars patet, nam quando quis exilio vel pœnâ pecuniariâ mulctatur, tenetur egredi è regno vel civitate, aut pecuniam solvere, hoc enim nihil crudelitatis aut iniustitiæ continet. Potest tamen in pecuniæ solutione expectare ut petatur, quia licet possit iudex injungere ut detur, quamvis non petatur, communiter tamen id non facit.

37. Secunda verò probatur ex eo quod sententia pœnalis, sicut & lex, benignè est interpretanda,

cum sententia sit applicatio illius legis, quam benignè esse interpretandam, est communis animi conceptio, & dispositio juris: Ergo non tenetur reus ad exequendam illam pœnam in seipso, cuius executio commodius fit à iudice vel ministris, sed sufficit esse paratum ad illam sustinendam, quando infligetur ab illis. Pater consequentia, nam alias non benignè sed durissimè interpretaremur sententiam illam.

Dico secundo, non potest obligari reus à iudice per suam sententiam, ut sibi inferat pœnam ad cuius executionem requiritur actio violenta: v. g. non potest obligari ut seipsum occidat, vel mutilet, aut suis manibus sumat venenum, vel pereat inedia, tamen si cibi illi offerantur.

38. Probatur: Nam etsi pœna mortis, vel inedia, vel alia similis, secundum se non sit inhumana, sed multoties iustissima & mitis, attentà criminum gravitate, iste tamen modus executionis, scilicet quod propriis manibus reus sibi inferat mortem, inhumana est & crudelitate plenus; nihil enim magis abhorret natura, cui naturalis est vitæ conservatio, quam manus violentas sibi inferre usque ad internecionem: Ergo iudex suâ sententiâ non potest ad id obligare. Nec est paratio de quibusdam actionibus, quæ remotè tantum ad ipsius rei mortem cooperatur, ut patibulum ascendere, extendere linguam amputandam, collum denudare, illudve carnifici truncandum offerre; nam tales actiones ex se & ex natura sua indifferentes sunt, neque inhumanae & crudeles redduntur, quin potius commodiores & laudabiliores, si ab ipso reo executioni mandentur.

39. Ex his intelliges, quod sicut ex amore naturali erga parentes, tenemur non inferre illis mortem, quamvis ad eam iustè damnati essent, & executio sententiæ nobis committeretur ac præcipere à iudice, ita neque erga nos ipsos possumus licitè illam exequi. Ac ne quidem ad vitandam mortem acerbior, licitum est sibi vel illis mortem mitiorem consciscere abscissione venæ, quamvis à iudice oblatâ, vel alio quopiam modo; quia iure & præcepto naturali prohibitum est, propriæ occisioni positivè cooperari.

40. Intelliges etiam, falsam esse ac erroneam Tamburini & aliorum recentiorum Caluistiarum sententiam, quæ asserit iustè damnatum ut fame pereat, posse oblatum panem respicere. Nam ut rectè dicitur S. Thomas 2. 2. quæst. 61. art. 4. ad 2. *Nullus ita condemnatur quod ipse sibi inferat mortem, sed quod ipse mortem patiat, & ideo non tenetur facere id unde mors sequatur, tenetur tamen non resistere agenti quin patiat, quod iustum est eum pati. Sicut etiam si aliquis sit condemnatus ut fame moriatur, non peccat, si cibum sibi occultè ministratum sumat, quia non sumere, esset seipsum occidere.* Quæ ultima verba probant, taliter condemnatum, non modò posse, sed & teneri, cibum sibi oblatum sumere, quia nulli fas est seipsum occidere. De quo fusiùs in dissertatione de probabilitate art. 3. §. 2. num. 105.

41. Dico tertio, potest iudex suâ sententiâ obligare reum ut sibi inferat pœnam, ad cuius executionem requiritur actio, quæ commodius exercetur à iudice vel ejus ministris, dummodo talis actio violenta non sit.

Probatur, quia hoc nihil continet crudelitatis, & fit in domibus religiosis, & in officio sanctæ inquisitionis, in quo interdum reis præcipitur, ut suis manibus sumant disciplinam, seu levem aliquam & non ignominiosam flagellationem,

Tom. III.

A quam solent multi spontè suscipere, ad carnis macerationem.

§. II.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

42. **E**X dictis colligitur, iudices inferiores teneri in conscientia iis qui legem transgrediuntur, pœnam lege taxatam imponere. Iudex enim ad hoc positus est à republica, ut per legum observantiam & custodiam, illam in pace & concordia conservet: Ergo contra suum officium ageret, si legum transgressores debitâ pœnâ non puniret; esset enim Reipublicæ infidelis, ansamque daret ut passim vitia & delicta cum publico detrimento communitatis grassarentur.

43. **C**onfirmatur, quia alioqui leges nullam vim haberent, nisi teneretur iudex pœnam imponere, saltem quando non tenetur reus ante sententiam iudicis eam subire, quod ut plurimum contingere, ex ante dictis perspicuum relinquitur.

44. **D**ixi iudices inferiores, quia legislator, ex communi sententiâ, potest pœnam remittere transgressori; cum obligatio, si quam habet ad pœnam imponendam, oriatur ex sua lege, quâ tamen non tenetur. Verum cum ille potestate quam habet condendi leges, & puniendi transgressores earum, uti debeat in bonum Reipublicæ, non erit liber à culpa, si reo sine causa rationabili pœnam lege statutam condonet, cum talis impunitas in perniciem Reipublicæ vergere soleat.

45. **D**ixi etiam, iudices inferiores teneri pœnam lege taxatam imponere, quia non potest iudex inferior pro suo arbitratu pœnam lege taxatam moderari, sed eam juxta legem teneri imponere, ut patet ex cap. *In istis*, dist. 4. ubi Pontifex sic loquitur: *In istis temporalibus legibus, quanquam de his homines iudicent, cum eas instituerunt, tamen cum fuerint instituta & firmata, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas.*

46. **R**atio etiam suffragatur: Iudex enim non habet potestatem in lege dispensandi, nisi sit supremus: Sed moderari pœnam in lege positam, est aliquo modo in lege dispensare, si non in toto, saltem in parte: Ergo non potest iudex inferior pœnam lege taxatam minuire, vel moderari, sed debet pœnam lege statutam imponere; præsertim, si pœna sit pecuniaria, quæ interdum applicatur parti læsæ, vel fisco, vel aliis quibus jus aliquod per legem acquiritur; tunc enim pœnæ diminutio, in præjudicium tertii vergeret.

47. **Q**uæres, an leges quibus tributa imponuntur, sint purè pœnales?

48. **R**espondeo negativè, quia tributa non sunt pœnæ communiter, neque supponunt culpam quæ illis vindicetur, sed sunt subsidia quædam à populo debita Regibus ad onera muneris sui sustinenda. Nec obstat quod illa onerent subditos, cum discrimen sit inter id quod est onerosum, & quod est pœnale. Dixi, *communiter*, quia interdum tributum potest in pœnam statui, potest enim Rex punire civitatem vel regnum à quo injuria accepit, impositione alicujus tributi. Unde Deuteronom. 20. dicitur: *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur, & serviet tibi sub tributo.*

Dividitur autem tributum in tres species, nempe in reale, personale, & mixtum. Reale est illud

A A aa iij

quod pro rebus immobilibus & fructibus earum A quotannis persolvitur, à quo tributo agri dicuntur vectigales l. 1. & 2. ff. *stager*. Personale verò illud est quod tribuitur ratione personæ, vocaturque census, juxta illud Matth. 22. *Licet censum dare Casari an non?* & dicitur à Juristis capitatio, L. *Sacrosancta* ff. de sacrosanctis Ecclesiis, ex eo quod solvitur per capita. Mixtum denique illud est, quod tam pro rebus, præsertim mobilibus, quam pro personis imponitur.

49. Querunt etiam hæc aliqui, an lex irritans, quæ nimirum statuit aliquid esse irritum, sive invalidum, sit pœnalis?

Respondeo talem legē aliquando esse pœnalē, & inductam propter culpam aut dolum, sive in odium alicujus transgressionis aut culpæ; cuiusmodi est irritatio matrimonii propter uxoricidium, aut propter adulterium vivente conjugee commissum, cum promissione futuri matrimonii; interdum verò non esse pœnalem, & fieri in bonum privatæ personæ, vel reipublicæ, non autem in pœnam alicujus peccati; cuiusmodi est irritatio professionis ante annum decimum sextum expletum, statuta in bonum profitentium & Religionis; vel irritatio matrimonii inter consanguineos, vel affines in certis gradibus, ob decentiam & honestatem. Unde lex irritans in pœnalem & non pœnalem seu legalem dividitur, ut notat Rebuffus in Concordata, titulo de *Collationibus*, paragrapho penultimo.

DISPVATIO VII.

De Consuetudine.

HAecenus de lege scripta, quæ fertur à superiore dictum est, nunc agendum de lege non scripta, quæ consuetudo appellatur, & quid illa sit, & quam vim habeat, breviter declarandum. Unde sit

ARTICVLVS VNICVS.

Quid sit consuetudo, & quam vim habeat?

1. **D**ico primò: Consuetudo est *ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex*. Ita Isidorus apud Gratianum dist. 1. cap. *consuetudo*.

Explicatur breviter hæc definitio: Consuetudo dicitur primò *ius*, tum ad exprimendum genus ipsi cum lege scripta commune; tum quia debet esse iusta, saltem ratione objecti seu materiæ circa quam versatur, ut infra dicemus; & per hoc à corruptela seu abusu distinguitur. Igitur consuetudo non sumitur hæc pro usu frequenti, sed pro jure quod ex tali usu ortum habet. Dicitur secundò, *hominum moribus institutum*, ut jam incipiat à lege distingui; fertur enim lex à superiore, consuetudo verò à subditis, cum solo Principis consensu tacito introduci potest. Dicitur tertio, *quod pro lege suscipitur*, &c. quia consuetudo, ut infra dicemus, habet vim legis, & loco ejus suscipitur, ubi deficit lex. Cum autem lex tripliciter possit deficere; primò, cum non est; secundò, cum est

inutilis; tertio, cum dubia vel obscura est, pro illo triplici legis defectu consuetudo suscipitur. Nam primò ubi non est lex, suscipitur consuetudo legis introductiva, seu vim legis habens. Secundò venit in defectum legis inutilis, consuetudo abrogativa illius. Tertio cum lex obscura vel dubia est, venit in ejus defectum consuetudo, quæ ut infra dicemus, vim habet legem dubiam & obscuram interpretandi.

Ex his intelliges primò, consuetudinem & præscriptionem in aliquibus convenire, & in multis differre. In duobus enim conveniunt; primò, quia in utraque intervenit aliquid facti, & similiter aliquid juris, quod per factum introducit; secundò, quia & præscriptio requirit aliquam consuetudinem facti, & vicissim consuetudo requirit aliquam præscriptionem temporis. Differunt autem primò in ipso jure, nam consuetudo introducit jus legale, seu jus legis, quo omnes obligantur; præscriptio verò solum confert jus domini, aut jus utendi vel fruendi. Secundò differunt, quòd consuetudo introducatur per praxim & usum populi; cum enim vim legis habeat, & lex ad commune bonum referatur, debet introduci per morem & observationem communitatis, nempe populi; at verò præscriptio, cum ad privatam utilitatem referatur, introduciur tantum per usum & factum alicujus privatæ personæ, ut cum quis hæreditate aliqua longo tempore pacificè fruitur, tunc enim viget præscriptio illius hæreditatis in hoc privato homine. Tertio differunt, quòd consuetudo ad suæ introductionis validitatem requirat tacitum vel expressum consensum Principis, contra quem, vel contra cujus legem consuetudo introducitur, ut infra dicemus; at verò præscriptio non requirit consensum ipsius contra quem, vel contra cujus utilitatem præscribitur; ut enim Titius contra Caium prædio aliquo præscribat, non est opus Caium ipsum tacite aut expressè in hanc præscriptionem consentire, sed satis est, ut eo ignorante possessio currat & continuetur. Demum consuetudo & præscriptio differunt ex parte temporis, quod lege determinatum est in omni præscriptione, non autem in omni consuetudine, ut infra patebit.

Intelliges secundò, quomodo consuetudo differat ab usu & more: si enim consuetudo spectetur ut est quid facti, idem ferè est quod usus & mos, nempe uniformis frequentatio actuum liberorum; si verò spectetur ut est quid juris, moraliter relictum ab ipsa uniformi frequentatione humanorum actuum, vim habens obligandi ad sic operandum, differat consuetudo ab ipso usu & more, qui solum importat ipsam materiale uniformem frequentationem actuum liberorum.

Intelliges tertio, quomodo consuetudo differat à foro & stylo; forus enim non est quodcumque jus usu & consuetudine firmatum, sed de iis duntaxat rebus, de quibus judicandum est in tribunali. Stylus verò propriè est modus, qui in scribendo vel loquendo servatur, qui à Jurisperitis transferri solet ad significandum modum quo proceditur in causis & negotiis tractandis.

Intelliges quartò, bonam esse divisionem consuetudinis, in consuetudinem contra legem, & secundum legem. Nam vel consuetudo supponit aliquam legem humanam sibi contrariam, & sic est consuetudo contra legem. Aut nullam supponit legem humanam sibi contrariam, & sic est præter legem. Aut demum supponit legem humanam constitutam, sibi conformem, & sic erit se-

eundem legem. Quamquam hoc ultimo modo non fit proprie consuetudo, de qua hic agimus, cum nullum novum jus introducat, sed tantum antiquum, quod lege scriptum supponit, repetitis observantia actibus confirmet.

Dico secundò, consuetudinem legitime introductam, triplicem habere vim, nempe instituendi, abrogandi, & interpretandi legem, eamque posse novam legem instituere, veterem abrogare, & dubiam interpretari.

6. Prima pars probatur primò ex SS. Patribus: Tertullianus enim lib. de corona militis cap. 4. sic ait: *Consuetudo etiam in rebus civilibus pro lege suscipitur, cum deficit lex.* Et Augustinus Ep. 86. ad Casulanum, ut refertur cap. In his dist. 11. hæc scribit: *In his rebus, in quibus nihil certi statuit divina Scriptura, mos populi Dei, & instituta majorum, pro lege tenenda sunt; & sicut prævaricatores divinarum legum, ita & contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt.*

7. Probatur secundò ratione, quia in ipsa consuetudine legitime introducta reperiuntur ea quæ ad legem requiruntur. Primò materia proportionata, hoc est rationabilis. Secundò potestas introducendi juris obligantis, saltem si adit consensus tacitus Principis. Tertiò, voluntas se obligandi. Quartò, manifestatio talis voluntatis, non tam per verba, quàm per facta. *Quid autem interest* (inquit Ulpianus, L. de quibus, ff. de legibus) *suffragio populus voluntatem suam declarat, an rebus ipsis & factis?*

8. Ex quo probata manet secunda pars, cum enim prioris legis obligatio tollatur per posteriorem, si consuetudo legitime introducta habet vim instituendi novam legem, pariter vim habet abrogandi præcedentem, & tollendi obligationem illius. Unde L. de quibus, ff. de legibus, dicitur recèssimè receptum esse, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur. Unde multa sunt in jure Canonico & civili, quæ dudum propter desuetudinem exoleverunt, nec ullam ampliùs inducunt obligationem.

9. Tertia denique pars, quæ asserti consuetudinem habere vim legem dubiam vel obscuram interpretandi, manifesta est, neque enim meliùs vera legis intelligentia haberi potest, quàm ex communi hominum sensu, per receptam consuetudinem satis manifestato. Unde cap. *Cum dilectis* de consuetudine, consuetudo dicitur *optima legum interpretis.*

10. Ex his colligitur primò, consuetudinem inducere obligationem tam ad culpam quàm ad pœnam, cum enim vim legis habeat, debet eandem inducere obligationem, quam imponit lex: Sed lex tam ad culpam quàm ad pœnam obligare potest, ut disputatione præcedenti ostensum est: Ergo & consuetudo.

11. Colligitur secundò, quod sicut de ratione legis est ut præcipiat actus bonos, cum sit regula rectæ rationis, mensurans actus humanos; ita ut consuetudo vim legis obtineat, requiritur ut id de quo est fit actus bonus; unde consuetudo de re illicita aut indifferenti, vim legis non habet. Ex quo fit, nullam introduci posse consuetudinem, quæ vim obligandi habeat contra legem naturalem, cum lex naturæ id solum præcipiat quod est intrinsecè bonum, & veter quod est intrinsecè malum.

12. Colligitur tertiò, quod sicut lex debet poni in communi, quantum ad personas, id est respicere debet communitatem personarum; ita, ut con-

suetudo vim legis habeat, debet esse universalis, & non paucorum.

Colligitur quartò, quod sicut proprium legis est inducere obligationem aliquid faciendi, ita etiam ut consuetudo vim legis obtineat, requiritur quod id quod ducitur in consuetudinem, iudicetur ab omnibus esse necessariò observandum, & non ex sola populi devotione & pio affectu. Unde consuetudines inductæ tantum devotionis gratiâ, vel ad melius esse, non habent vim legis, ut consuetudo ter pulsandi quotidie ad angelicam salutationem, vel tria sacra audiendi in natali Domini, vel jejunandi in vigiliis festorum B. Virginis, exceptâ vigiliâ Assumptionis.

B Colligitur quintò, quod cum omnis lex procedere debeat à voluntate & ratione Principis, ut consuetudo vim legis habeat, requiritur ut Princeps, vel alia potestas superior, ad quam pertinet ferre leges, ei consentiat personaliter, vel legaliter, seu juridicè. Dicitur autem consentire personaliter, quando per se immediatè consentit tacitè vel expressè. Legaliter verò seu juridicè consentit censetur, quando vel ipse vel prædecessores tulerunt aliquando legem, vi cuius talis consuetudo approbatur.

C Quod verò spectat ad tempus necessarium pro justa & legitima consuetudinis introductione, tres circumferuntur Doctorum sententiæ. Aliqui enim volunt ad hoc requiri spatium decem annorum inter præsentem, & viginti inter absentes. Alii distinguunt jus civile à Canonico, & dicunt ad consuetudinem contra jus civile introducendam, sufficere spatium decem annorum, tam inter præsentem, quàm inter absentes; contra verò jus Canonico requiri viginti annos, propter dignitatem ipsius juris, quod strictioris debet esse observationis, quàm civile; ideoque addunt aliqui, requiri centum annos ad præscribendum contra jura Summi Pontificis, seu Ecclesiæ Romanæ, quadraginta verò contra aliarum Ecclesiarum jura. Alii demum nullum tempus determinatum requirunt pro justa & legitima consuetudinis introductione, & dicunt quod tunc consuetudo sufficienter introducta censetur, quando viri probi & prudentes censent eam introductam esse, neque circa hoc evidentiorum aut certiorum regulam statui posse. Pro resolutione

D Dico breviter, quod quando consuetudo introducit à populo, cum expresso consensu Principis, non est opus expectare tempus aliquod determinatum; quia cum consuetudo non minorem vim habeat, quàm lex scripta, si accedat consensus Principis, vivæ vocis oraculo expressus, non est dubium quin firmet illicè consuetudinem, subindeque non est expectandum determinatum aliquod tempus ad ejus validitatem. Si autem consuetudo introducit à populo, ex tacito seu præsumptivo consensu Principis, tunc servandum est tempus à jure determinatum, quia tunc Princeps non præsumitur consentire, nisi evoluto tempore à jure determinato; præsumitur enim velle servare ea quæ jure communi statuta sunt. Ceterùm cum nec in jure civili, neque in Canonico, nullum certum tempus legatur determinatum pro introducenda consuetudine, hinc fit quod tempus quod in jure requiritur ad præscriptionem, requiri censetur ad consuetudinem. Unde juxta hanc regulam consuetudo contra legem civilem requirit decem annos, contra Ecclesiasticam quadraginta, ut docent Authores secundæ sententiæ.

17. Ubi tamen obiter animadvertendum est, istud tempus tantum in foro externo requiri, nam in interno & in conscientia possumus aliquid tanquam consuetudine firmatum observare, quando constat plerisque viros bonos ita se gerere, & morem istum observare, tametsi legitime præscriptus non sit, nec habeat numerum annorum quem assignavimus. Et quantum ad hoc verum dicunt authores tertie sententiæ.



DISPUTATIO VIII.

De privilegiis.

Hætenus actum est de lege totam communitatem obligante, nunc superest nobis agendum de legibus, quæ privatas personas respiciunt, easque à communi legis obligatione eximunt, ideoque privilegia appellantur. Unde fit

ARTICVLVS I.

Quid & quotuplex sit privilegium?

1. **D**ico primò, privilegium est *lex privata, speciale aliquid indulgens*. Ita definitur cap. *Abbate*, de verb. signific.

Explicatur breviter hæc definitio. Privilegium dicitur *lex*, quia per modum legis stabiliter conceditur, unde non expirat cum morte concedentis, uti præceptum. Subditur *privata*, vel quia non ad omnes, sed ad privatas duntaxat personas spectat, vel quia privilegiatum eximit à communi jure. Additur, *speciale aliquid indulgens*, ut propria privilegii natura explicetur, quæ est, ut per illud aliquid speciale ultra jus commune privilegiato concedatur.

2. Ex his intelliges privilegiatum à lege, dispensatione, & gratia differre. A lege quidem in duobus; quia primò lex jus commune, privilegium verò jus speciale respicit. Secundò, quia lex quando in vigore, semper obligat subditos: privilegium verò à legis observatione privilegiatum excipit. A dispensatione similiter differt in duobus, primò, quia dispensatio semper est alicujus legis, non privilegium. Secundò, quia dispensatio ad unum actum, puta ad unicum matrimonii impedimentum tollendum, conceditur, sicque lex dici non potest, cum non sit permanentis; privilegium verò debet dare jus aliquo modo stabile. Unde si interdum dispensatio concedatur per modum legis stabilis & permanentis, ut de non jejunando pro tota vita, vel de jejunando in ovis & lacticiis, talis dispensatio potius habet rationem privilegij. Demum privilegium à gratia differt, sicut inferius à superiori, quia privilegium quodlibet est gratia, sed non quælibet gratia est privilegium; dispensatio enim v. g. ab aliqua irregularitate, vel absolutio ab excommunicatione, gratia quidem, sed non privilegium dici potest.

3. Intelliges etiam ex dictis, quod sicut de essentia legis non est quod sit scriptis exarata, ita nec ad essentiam aut valorem privilegij, scriptura necessaria est; sed sicut lex potest verbo vel scripto statui, ita & privilegium. Unde in Clementina

A *Dudum*, de sepulchris, sic ait Pontifex: *Nos anteverfa privilegia, gratias, indulgentias, verbo vel scripto concessa* &c. Et Sixtus IV. in Extravaganti, *Etsi dominici gregis*, de penit. & remiss. asserit, concedi privilegia & facultates à Sede Apostolica, verbo, vel scripto.

B Dico secundò, privilegium jam descriptum, dividi in varias species. Dividitur enim primò in reale & personale. Reale est, quod datur directè & immediatè alicui rei, muneris, & conditioni distinctæ à persona: ut causæ piæ, templo, prædio &c. vel statui Clericali, muneris Episcopali, officio Præsidis, conditioni pupillorum, scholarum, &c. Personale est, quod immediatè datur personæ, ratione sui, & ex intentione ut ei provideatur; ut si alicui concedatur, ut non solvat decimas, sit immunis à tributo, absolvere possit à reservatis, aut dispensare ab irregularitatibus. Reale est perpetuum, & durat cum re, officio, statu, dignitate, aut conditione, cui annexitur. Personale est ad tempus, extinguiturque cum persona, cui conceditur, juxta regulam 7. juris in sexto: *Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona*.

C Dividitur secundò in privilegium gratiosum, remunerativum, & conventionale. Gratiosum est, quod datur gratis sine ullis meritis privilegiati, vel parentum, aut aliorum, ipsi communicatis, quibus privilegium ut merces respondeat, & non solum ut motivum, vel occasio dandi. Remunerativum est, quod datur in præmium meritorum privilegiati, aut aliorum ipsi communicatorum. Conventionale, quod datur pacto seu conditione interveniente, ratione cujus privilegiatus censetur emere vel recompenare privilegium.

D Dividitur tertio in locale & generale. Isto uti licet ubique, illo non nisi in loco pro quo concessum est; ut usus carni in Francia diebus aliquot sabbati, & lacticiis in quadagesima. Quando autem sit locale, cognoscitur, vel quia exprimitur in privilegio, vel quia ex causa particulari concessionis satis colligitur, ut usus lacticiis in quadagesima, ubi deest copia olei & piscium.

E Dividitur quartò in favorabile & odiosum: favorabile est illud quod nemini affert incommodum, cujusmodi est privilegium audiendi missam tempore interdicti, vescendi butyro & lacte in Quadagesima, faciendi testamentum sine solemnitate juris &c. Odiosum illud est, quod licet favoreat privilegiato, alteri tamen simul nocivum est, quale est privilegium, quo quis capax redditur ad habenda plura beneficia.

F Dividitur quintò in affirmativum & negativum. Affirmativum illud est, quo facultas aliquid faciendi conceditur. Negativum, quod dat facultatem ad aliquid omitendum. Plures sunt alia divisiones privilegij, pro quatum notitia recurrendum est ad eos qui de privilegiis ex professo & fufius tractaverunt.

G Quæres, quandonam privilegium incipiat in privilegiario suos effectus operari? An quando in curia authenticè expeditur, & subscribitur, seu bullatur; vel cum per procuratorem in urbe, nomine ipsius privilegiarii acceptatur; vel demum cum notitia concessi privilegij pervenit ad aures privilegiarii?

H Respondeo distinguendum esse duplex privilegium; alterum concessum per modum legis aut statuti generalis, ut privilegium concessum in favorem Clericorum, can. *si quis suadente* 16. qu. 4. alterum

alterum per modum rescripti alicui particulari personæ, aut Religioni concessum. Si sermo sit de primo, certum est illud non operari suum effectum ante promulgationem, quia cum tradatur per modum legis, obligando omnes, & lex ante promulgationem vim operandi non habeat, suum effectum ante promulgationem non operabitur: imò factâ promulgatione, adhuc requiritur notitia ipsius promulgatæ legis, ut pœna incurratur, ut patet de prædicto privilegio in favorem Clericorum concessio; nullus enim pœnam excommunicationis lata sententiæ contra percipientes Clericos incurrit, nisi hujus legis seu privilegii Clericis concessi notitiam habeat. Si verò quæstio sit de privilegio secundi generis, adhuc distinguendum est, nam illud continet dispensationem ab aliqua lege, ut privilegium de non jejunando tempore præcepto, aut de contrahendo matrimonio cum aliqua in gradu prohibito; vel nullam continet à lege dispensationem, ut esset privilegium acquirendi decimas, vel non solvendi tributum. Primi generis privilegium, suum effectum in privilegiario non operatur ante notitiam concessi privilegij: v.g. dispensatio contrahendi matrimonium cum consanguinea, debet partibus innotescere, ut validè contrahant, nec sufficit dispensationem in curia Romana authenticè expeditam & subscriptam seu bullatam esse, si adhuc partes id ignorent. Ratio est, quia nunquam præsumitur Pontifex privilegium concedere pro tempore quo ipsius usus non est licitus, nunquam enim præsumitur uti suâ potestate in destructionem: Sed usus dispensationis contrahendi matrimonium cum consanguinea, non est licitus ante notitiam illius, reverâ enim peccaret, & malè ac imprudenter ageret, qui ante dispensationis notitiam matrimonium cum consanguinea contraheret. Ergo ante talem notitiam non præsupponitur Pontifex talem dispensationem concedere. Unde si Paulus v. g. in sacris constitutus, matrimonium contrahat cum Laura, ante dispensationis notitiam, matrimonium erit nullum. Privilegium verò secundi generis jus tribuit, effectumque operatur, ab ipsa die acceptationis per procuratorem, ante ullam notitiam à privilegiario habitam, quia cum procurator faciat unum cum ipso privilegiario, ut morale instrumentum cum principali agente, quidquid agit procurator nomine privilegiarij, privilegiarius ipse agere censetur.

ARTICVLVS II.

De cessatione privilegiorum.

Variè circa privilegiorum cessationem proponi solent difficultates, quas ad majorem claritatem, sequentibus quæstis proponemus ac resolvemus.

10. Quæres ergo primò, an cessante causâ privilegij, ipsum privilegium cesset?

Respondeo affirmativè, contra Suarez lib. 8. de legibus cap. 36. Cum enim privilegium concedatur à Principe, propter usum, non minus honestam causam requirit privilegij usus, quàm privilegij concessio: Ergo etiam si honestam causam habuerit privilegij concessio, si tamen ea cessat in usu privilegij, ipsum quoque privilegium cessare censetur.

11. Confirmatur ex lege *Vriannus ff. de fidejussori. Tom. III.*

A bus, in qua sic dicitur: *Quod pervenit ad statum in quo incipere non possit, in eo remanere non potest.* ubi glossa: *Quod impedit ad faciendum, destruit quoque jam factum.* Quibus verbis tam lex citata, quàm Glossa eandem requirunt in usu acin concessione privilegij causam, idemque subinde docent impedire privilegij usum, quod privilegij concessionem impedivisset. Sed causæ honestæ defectus, concessionem privilegij impedivisset: Ergo & ejus cessatio, privilegij usum & conservacionem impedit.

12. Confirmatur ampliùs ex cap. *Tua*, de Clericis non reside. tibus, ex quo habetur quod cessat privilegium indultum Canonis, ut absentes recipiant fructus præbendarum suarum in gratiam studiorum: cessat, inquam, cum studiis incumbere desinant: Ergo cessante causâ privilegij, ipsum quoque privilegium cessat.

13. Limitatur tamen primò hæc sententia, nisi privilegiatus perfectum consummatumque jus acquisierit in rem privilegio vel dispensatione concessam, ut si habenti unum beneficium, concessum sit aliud ad sufficientem beneficiarii sustentacionem; nam et si postea solius primi beneficii proventus sustentetur, non amittit secundum, quod intuitu sufficientis sustentacionis collatum fuit, eò quòd in illud perfectum consummatumque jus acquisierit.

14. Limitatur secundo, nisi privilegium vel dispensatio concedatur ob aliquod morale periculum evitandum, ut si cum sœmina castitatis voto astricta, ob morale periculum incontinentiæ, dispensetur, ut nubere possit, si postea periculum incontinentiæ cesset, vel ob senilem ætatem, vel ob diurnam & gravem infirmitatem, vel alias ob causas, dispensationis privilegium non cessat, sed cessante etiam periculo, propter quod cum ea dispensatum fuit, licitè nubere potest.

15. Limitatur tertio, nisi privilegium vel dispensatio sit de re quam princeps etiam sine gravi causa honestè concedere potest, cujusmodi est privilegium de anticipando officio divino, quod quæcunque levis causa honestare potest. Quare illud concessum ob nimias occupationes in studiis, vel in alio munere obeundo, non cessat, cessante causâ, quia censetur Pontifex illud absolute concedere, cum ex quacunque levi causa illud honestè concedere possit. Econtra verò privilegium alicui concessum non recitandi horas, ob gravem causam, v.g. ob exercendum munus gravioris momenti, cessat, quando tale munus ampliùs non exercetur, quia tale privilegium, vel dispensatio, non est de re quam Pontifex etiam sine gravi causa, honestè concedere possit.

16. Quæres secundo, an cesset privilegium morte concedentis?

E Respondeo privilegium continens gratiam factam, non expirare morte concedentis, quia tale privilegium est veluti quædam species donationis; donatio autem non extinguitur morte donantis: privilegium verò continens gratiam faciendam, morte donantis extingui, quia tale privilegium non se habet ut donatio, sed potius ut mandatum. Tunc enim gratia quæ continetur privilegio, dicitur facta, cum immediatè alicui conceditur, ut cum v. g. Summus Pontifex immediatè concedit Petro facultatem eligendi confessarium. Dicitur autem faciendam, cum non immediatè conceditur ei in ejus favorem privilegium conceditur, sed mandatur alteri, ut talem gratiam ei conferat, ut cum Summus Pontifex Episcopo

B B b

mandat, ut alicui beneficium conferat, vel cum eo super aliquam irregularitatem dispense.

17.

Hinc sequitur, quod quando Pontifex potestatem faciendi concedit delegato, in gratiam ipsius delegati, non expirat morte concedentis, quia tunc gratia est ipsa potestas faciendi gratiam, quæ hoc ipso intelligitur facta, quo est collata delegato: at verò quando talis potestas conceditur intuitu tertii, expirante concedente, expirat collata potestas, si in vita concedentis non habuit effectum. Unde in cap. *Si cui nulla*, de præbend. in 6. sic dicitur: *Si cui, nullâ personarum factâ expressione, sit gratis concessa facultas, ut autoritate Apostolicâ possit aliquibus personis idoneis in certa Ecclesia providere &c. huiusmodi concessio non expirat, etiam re integrâ, per obitum concedentis: secus si super provisione certa persona faciendâ, sit data potestas eidem, non ob suam, sed ejus cui provideri mandatur, gratiam vel favorem; illa quidem expirat omnino, si concedens, re integrâ, moriatur.* Hanc tamen posteriorem regulam limitant aliqui, nisi facultas quæ in gratiam tertii conceditur, sit de re spirituali spectante ad bonum animæ; nam tunc non videtur mens concedentis esse, ut ea expiret per obitum ipsius, ut si Pontifex committat Petro potestatem absolvendi Petrum à casu reservato, talis potestas non videtur morte Pontificis expirare, cum sit de re spirituali concernente animi bonum; hoc enim postulare videtur spiritualis animarum salus, ne propter executionis moram detrimentum patiantur. Unde citatum caput *Si cui nulla*, intelligendum est de facultate in ordine ad res temporales.

18.

Quæres tertio, an privilegium expiret, eo cui conceditur expirante?

Respondeo privilegium personale extinguatur cum persona, quia personam sequitur, ut dicitur regulâ 7. de regulis juris in 6. non autem privilegium reale, quia non est annexum personæ, sed muneri, dignitati, aut conditioni distinctæ à personæ.

19.

Quæres quarto, an privilegium in favorem privilegiati concessum, per ipsius renuntiationem cesset & amittatur?

Respondeo illud cessare, quando talis renuntiatio acceptatur ab eo qui privilegium concessit, nam tunc dissolvitur contractus qui inter privilegium concedentem & acceptantem intercessit; secus verò si talis renuntiatio ab eo qui privilegium concessit acceptata non fuerit; cum enim privilegium à voluntate concedentis pendeat, non definit, sed moraliter ab illo conservari censetur, donec renuntiationem à privilegiario factam acceptaverit. Loquimur autem hic de privilegio quod in potestate faciendi vel non faciendi aliquid contra jus commune consistit, non autem de privilegio seu dispensatione, quæ in ablatione alicujus canonici impedimenti versatur, uti est dispensatio ab aliqua censura, vel impedimento matrimonii, tale enim privilegium non cessat per renuntiationem ipsius privilegiarii, cum id quod factum est, non factum esse nequeat, neque id quod ablatum est redire, præsertim per privatam hominis voluntatem.

20.

Quæres quinto, an privilegium per non usum seu desuetudinem amittatur?

Respondeo privilegia odiosa, quæ scilicet redundant in gravamen & quasi servitutem aliorum, amitti præscriptione longi temporis, per non usum privilegii; ut de nundinis dicitur expressè L. 1. ff. *De nundinis*, ubi statuitur ut pri-

villegium nundinarum, per non usum, decennio amittatur. Ratio est, quia præscriptio æquè locum habet contra ejusmodi onera & servitutes, ac contra qualvis alias. Si verò privilegia sint merè favorabilia, & non cedant in præjudicium aliorum, non amittuntur per præscriptionem; quia neque ipse privilegiarius contra seipsum præscribere potest; nec alii contra ipsum, quia ipsorum nihil interest.

Quæres sexto, an privilegia amittantur per delictum ipsius privilegiarii?

Respondeo quod delictum duplex esse potest, unum non pertinens ad usum privilegii, & tale delictum non tollit privilegium, nisi in casibus jure expressis; quo pacto Clericus mercaturam exercens, perdit privilegium clericale fori: cap. ultimo, de vita & honestate Clericorum. Alterum pertinens ad usum privilegii, id est abusus privilegii, vel per excessum facultatis concessæ, vel sumendo inde occasionem licentius vivendi, liberiusque peccandi, præcipue cum scandalo & detrimento boni communis; & per huiusmodi delictum, seu abusum, tolli potest privilegium, nam privilegium meretur amittere, qui permixta sibi abutitur potestate, ut dicitur cap. *Vbi dist. 74. cap. Privilegium* 11. quest. 3. cap. *Licet* de regularibus, & cap. *Vi privilegia*, de privilegiis. Qui tamen canones non privant ipso facto, sed post sententiam judicis. Si tamen abusus privilegii, finem illius tollat, ipso facto privilegium amittitur, quia finis habet se ut fundamentum privilegii, unde ipso ruente, privilegium ruat necesse est: v. g. privilegium beneficiatio ad residentiam obligato, lucrandi fructus præbendæ suæ, absque residentia, ob studium litterarum, si non studet, amittitur ipso facto, quia tunc abusus privilegii, destruit finem illius.

Quæres septimo, an privilegium semel concessum revocari possit, subindeque per revocationem cessare?

Respondeo privilegium à Principe subditis concessum, vel esse omnino gratuitum, vel onerosum, ut est privilegium remunerativum præteriti aut futuri laboris, aut fundatum in aliquo contractu iustitiæ inter Principem & subditum. Si privilegium sit merè gratuitum, & consistens in mera potestate aliquid agendi vel non agendi contra commune jus, semper est ad Principis nutum, etiam sine causa, validè revocabile; quia Princeps, qui abstulit præceptum commune, per concessionem privilegii, potest iterum illud imponere; & talis privilegii concessio, non est acquisitio alicujus domini, sed dispensatio quædam in jure communi, quæ semper pendet à Principis voluntate. Dixi, *validè revocabile*, quia ut talis revocatio honestè & decenter fiat à Principe, aliquam causam requirit; decet enim concessum à Principe beneficium esse mansurum, ut habetur regulâ 16. de regulis juris in sexto. Si verò privilegium non sit purè gratuitum, sed onerosum, ut privilegium remunerativum, & conventionale, est per se irrevocabile; quia jure naturali tenetur Princeps servare pacta, etiam cum subditis. Per accidens tamen, sicut potest privare subditos aliis bonis, quando necessitas boni communis id postulat; ita etiam potest eos privare concessis antea privilegiis. Potest enim per jus altum, de illis iuribus, æquè ac de aliis bonis inferiorum disponere, quantum exigit necessitas boni communis. Debet tamen aliter compensare hanc privationem, si potest.

D

E

21.

22.

23. Quæres octavo, quot modis privilegium revocari possit?

Respondet illud duobus modis revocari posse, nimirum per expressam, & tacitam revocationem. Expressa revocatio est, quæ fit per verba sufficienter indicantia revocationem privilegiorum, vel in specie, ut cum v. g. dicitur, *non obstante tali privilegio*, vel in genere, ut cum dicitur, *non obstantibus quibuscunque privilegiis*. Per tacitam verò revocationem, ea intelligitur, quæ fit per superioris actum, qui subsistere non potest absque derogatione privilegii, ut cum v. g. jubet superior tributum exigi ab eo quem à tributo exemerat, aut cum concedit novum privilegium cum altero incompatible.

24. Consentent autem plures Theologi & Canonistæ, privilegia corpori juris inserta non revocari, nisi ille qui habet revocandi potestatem, faciat expressam illorum mentionem; ita ut non sufficiant clausulæ generales, quæ tantum vim habent in privilegia non inserta corpori juris.

25. Advertendum est etiam, privilegii revocationem fieri posse dupliciter, nempe per legem, & privatim. Si fiat primo modo, requiritur revocationis publicatio; quia par est ratio obligationis legis & revocationis privilegii: Ergo sicut lex non obligat ante promulgationem, sic nec revocatio privilegii suum sortitur effectum ante publicationem. Si verò privilegii revocatio fiat secundo modo, non est opus prædictâ publicatione, sed sufficit ut ipsi privilegiario ipsa revocatio innotescat. Sic facultas Sacerdoti concessa ad absolvendum à casibus reservatis, cessat statim atque ejus revocatio illi intimatur & innotescit.



DISPUTATIO IX.

De legum interpretatione.

DE legibus humanis tam in communi quam in particulari, præcedentibus disputationibus fuscè disseruimus, nunc breviter agendum est de illarum interpretatione, seu variis modis eas interpretandi, & præcipue de epixia, & necessitate interpretandi legem per illam. Unde sit

ARTICVLVS VNICVS.

De variis modis interpretandi leges humanas, & præcipue de epixia.

8. **D**ico primò, triplicem esse legis humanæ interpretationem, nimirum authenticam; usualem, & doctrinalem. Ita colligitur ex Glossa in legem *si de interpretatione*, ff. de legibus.

Probatur breviter, quia legum humanarum interpretatio, vel fit autoritate ipsiusmet qui condidit legem, sicque dicitur authentica, & vim legis habet, ut colligitur ex lege ultima Cod. de legibus. Vel fit usu quodam & consuetudine, juxta id quod dicitur cap. *Cum dilectus*, de consuetudine: ubi consuetudo dicitur *optima legum interpretatio*, sicque dicitur interpretatio usualis. Vel denique fit per doctrinam interpretum, sicque dicitur interpretatio doctrinalis, quæ licet vim legis

A propriè non habeat, suum tamen autoritatis gradum habere non deficit.

Dico secundò, legis humanæ interpretatio per epixiam, in aliquibus casibus necessaria est.

Probatur: Epixia ab Aristotele 5. Ethic. cap. 10. definitur *Emendatio legis ea ex parte quæ deficit propter universale*: id est æqua & rationalis interpretatio, quod lex non obliget in aliquo particulari casu, licet verbis universalibus à Legislatore data sit. Exempli gratiâ, lex generalis est, depositum esse reddendum; æqua tamen & rationalis interpretatio est, non debere reddi in eo casu, quo noceret repetenti, aut alteri innoxio; ut si furiosus ensẽm suum repetat ad seipsum occidendum, vel alium, sine justa causa. Lex generalis est, ne aperiantur noctu portæ civitatis; sed non obligat in eo casu, quo noctu advenirent copiæ auxiliares, urbis defensionem necessariæ, essetque periculum ne si mox in urbem non admitterentur, interficerentur ab hostibus urbem obsidentibus: Ergo legis humanæ interpretatio per epixiam, in aliquibus casibus necessaria est, alioquin fieret contra rectam rationem, ut constat in exemplis adductis.

B Dico tertio, non solum epixia habet locum interpretandi legem, quando est evidens esse licitum verba legis observare, sed etiam quando est evidens, nimis durum esse observare illam.

C Probatur: Lex humana debet esse possibilis secundum naturam & consuetudinem patriæ, id est facilis observationis, ut supra ex Isidoro & Divo Thoma visum est: Ergo si in aliquo casu invenitur nimis dura, habet locum epixia, quæ est emendatio legis propter defectum. Unde David 1. Regum 21. judicavit legem prohibentem aliis quam Sacerdotibus edere panes propositionis, non obligare in ea necessitate (quam vis non extrema) in qua erat ipse cum suis constitutus. Similiter Apostoli Matth. 12. interpretati sunt legem sabbati non obligare ad non vellendas spicas, in simili necessitate edendi. Quod sapienter factum esse dubitari non potest, cum utrorumque factum Christus loco citato laudaverit.

Dico quartò, stante judicio dubio, non habet locum epixia, sed conveniri debet superior, vel non est agendum præter verba legis. Ita Divus Thomas hic quæst. 96. art. 6. ad 2. ubi sic ait: *Ille qui sequitur intensionem legislatoris, non interpretatur legem simpliciter, sed in casu in quo manifestum est per evidentiam nocimenti legislatoris aliud intendisse. Si enim dubium sit, debet vel secundum verba legis agere, vel superiorem consulere.*

Ratio etiam id suadet, in dubiis enim melior est conditio possidentis: Sed in casu posito, lex possidet: Ergo secundum verba ejus est agendum, si superior consuli non potest.

E Confirmatur ex percelebri illo sacrorum Canonum axioma: *In dubiis turior pars est eligenda*, quod desumitur ex cap. *Ad audientiam*, de homicidio, & ex cap. *Significasti* 2. eodem titulo, & ex cap. *Juvenis*, de sponsalibus, ubi sic dicitur: *In his quæ dubia sunt, quod certius existimamus tenere debemus.* Unde S. Thomas quodlib. 8. art. 13. *Si quis in quadam dubitatione inducitur contrarietate opinionum, & manente dubitatione, plures præbendas habet, periculo se committit, & sic proculdubio peccat.* Sed stante judicio dubio de mente legislatoris, tutius est secundum verba legis agere: Ergo in dubiis non habet locum epixia, sed si superior consuli non potest

7. test, secundum verba legis agendum est. A
 dico ultimò, quando probabiliter iudicatur, legem non comprehendere aliquem casum, licet uti epixia; dummodò tunc non habeatur aliud iudicium, quo probabilius existimetur casum illum comprehendere.

Hæc conclusio patet ex principiis statutis in disertatione de probabilitate, ubi ostendimus iudicium probabile in moralibus sufficere quidem interdum ad prudenter operandum, quando non occurrit aliud probabilius; si tamen fiat concursus duarum opinionum probabilium, nos teneri sequi eam quam iudicamus probabiliorem; alioquin peccamus contra regulas prudentiæ, quæ dicitur huic potius adhaerendum esse sententiæ, quæ nulli proptus errandi aut peccandi periculo nos exponit, quam illi, quæ nos probabiliter saltem peccandi & errandi periculo reddit obnoxios. Unde Chrysostomus homil. 44. in Matth. Si vestimentum empturus, unum giras negotiatorem & alterum: & ubi meliores vestes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas; an non oportet populum circumire omnes Doctores, & inquirere ubi sincerè veritas Christi vendatur, & ubi corrupta, & veriozem eligere plusquam vestimentum?

8. Idem docet subtilis Doctor in 3. dist. 25. quæst. 1. num. 8. ubi hæc scribit: In moralibus quando sunt altercationes de aliquo peccato, quando primò est mortale, ut si unus peritus in scientia dicat quod non licet sic mercari, & alius dicat quod licet: tutius est non procedere sic nec sic, sed expectare quousque veritas pateat aliunde; si enim ita esset quod unus Doctor diceret, aliquem peccare mortaliter, nisi sic faceret, & alius quod peccaret, si sic faceret, tunc simplex foret perplexus: ideo bene videndum est in moralibus antequam aliquid asseratur, quia videlicet cum habens duas opiniones contrarias perplexus sit, periculose se determinaret ad unam, nisi re diligenter inspecta probabiliorem eligeret. Et in 4. dist. 11. quæst. 6. Cum multis (inquit) sit probabilior pars negativa, non sine peccato aliquis se exponit dubio, sequendo affirmativam minus probabilem. Sed de hoc fufius in prædicta disertatione de probabilitate.




DISPUTATIO X.

De legum mutatione.

Ad quæstionem 97. D. Thomæ.

Cum tripliciter lex aliqua mutari possit, nimirum per dispensationem, seu relaxationem juris circa aliquas personas, per abrogationem, & per cessationem, seu simplicem desitionem, ut quando lex ad tempus lata, eo elapso expirat, ut legum humanarum mutatio perfecte declaratur, de triplici illo modo mutandi leges humanas, breviter hic agendum est, & primò de dispensatione, deinde de abrogatione, & cessatione legum humanarum.



ARTICULVS II.

Quid sit dispensatio, & an ea in legem humanam cadere possit?

D
 dispensatio definitur à Glossa in cap. Requiriis 1. quæst. 6. Iuris communis relaxatio facta cum cognitione cause, ab eo qui jus habet dispensandi. Verùm cum hæc definitio supponat ad valide dispensandum necessariam causæ cognitionem, quod in controversiam vertitur, illam sic alii definiunt: Dispensatio est juris relaxatio, à potestatem relaxandi habente facta. Alii demum omisâ causâ efficiente, per formalem sic brevius eam definiunt: Dispensatio est juris relaxatio.

Ex his definitionibus colligitur primò, dispensationem in eo differre à legis interpretatione, quòd hæc declarat tantum legem suam vim obligandi non habere in aliquo casu, vel persona particulari: illa, adhuc vigente legis obligatione, subditum eximit à legis obligatione, quâ alioquin astringeretur. Quò fit ut legem interpretari, non sit tantum superioris, sed etiam subditi, qui per epixiam potest in casu particulari declarare, legem non obligare: contra verò in lege dispensare non potest, nisi superior, cum sit actus jurisdictionis, qui superioritatem requirit in dispensante, & subjectionem in eo cum quo dispensante.

Colligitur secundò, dispensationem differre à privilegio, nam privilegium propriè est privata lex, quæ potest aliquando esse contra jus, & tunc est dispensatio; aliquando verò est præter jus, & tunc non est propriè dispensatio.

Colligitur tertio discriminè quod inter absolutionem & dispensationem versatur, nam absolutio non est contra legem communem, sed potius secundum illam, si persona absolvenda illam mereatur, dispensatio verò est contra legem communem, cum sit juris relaxatio.

Colligitur quartò, dispensationem rem esse odiosam, subindeque restringendam, seu strictè interpretandam; quia odiosum est eximi à lege, quæ æqualiter omnes obligat; & quia, ut ait regula 28. juris: Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.

Colligitur quinto, dispensationem rectè vulnus seu vulnerationem legis appellari 21. quæst. 4. can. Ipsa pietas: Lex enim ex duplici causa vim & vigorem habet, primò ex autoritate legislatoris, cujus prudentia regulam actibus humanis imponit, & ex consuetudine, quæ est vis constitutiva legis; quia consuetudo difficilè vincitur, præcipuè, si sit multitudinis; unde fit ut lex non prævaleat contra consuetudinem, sed potius consuetudo contra legem: quando autem cum aliquo juris rigor relaxatur, detrahatur aliquid de autoritate legislatoris, & de consuetudine, & sic veluti infligitur vulnus legi. Quod per dispensationem aliquid detrahatur à consuetudine, manifestum est; quod verò etiam de legislatoris autoritate detrahatur, ex eo patet quod legislatoris autoritas fundatur in prudentia gubernativa; prudentiæ autem est prævidere res futuras, & casus qui possunt emergere, eisque opportuna remedia adhibere. Quando ergo dispensatur in lege aliqua, tunc quodammodo taxatur minoris prudentiæ legislator, eò quòd casum illum particularem non præviderit.

Ex quo intelliges, quod licet in legem divinam

non possit cadere dispensatio proprie & strictè sumpta, quia Deus omnia singularia & contingentia prævidet, nec in legem naturalem, cum illa nihil aliud sit, quam impressio legis divinæ & æternæ facta in mentibus nostris; bene tamen in legem humanam, quia nimirum legislator humanus, quantumcunque prudens, non potuit singulos casus emergentes & contingentes prævidere. Unde Sapient. 9. dicitur: *Cogitationes mortalium timide, & incerta providentia nostra.*

7. Adde quod, sicut ad bonum commune conducit eximere aliquas personas per speciale privilegium à lege communi; ita ad idem bonum commune promovendum convenit cum aliquibus personis in eadem lege dispensare, cum non minus per privilegium, quam per dispensationem, fiat à communi lege relaxatio.

8. Dices, Leges humanæ sunt conclusiones deductæ ex lege naturali: Ergo si dispensatio in legem naturalem cadere nequeat, non poterit etiam cadere in legem humanam.

Sed nego Consequentiam, duplex enim distinguendus est modus quo leges humanæ ex naturali deducuntur. Unus per modum conclusionis evidenter contentæ in principiis naturæ, ut in illo universali principio: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*; evidenter continentur istæ conclusiones: *Non est occidendum. Non est furandum. Nihil supra justum est accipiendum.* Alter per modum particularis determinationis, ut eum Princeps statuit certa media, quorum observatione publicum bonum promoveatur & conservetur, ut non esse nocte arma ferenda; certis temporibus abstinendum esse à carnibus; in publicis contractibus, certas ceremonias esse servandas, & similia, quæ in principiis naturalibus non continentur evidenter, cum æque ipsa, ac opposita, vel alia disparata, pro publico bono servando statui possint. Quamvis ergo in leges humanas primo modo in principiis legis naturæ contentas, dispensatio cadere nequeat, cum illæ immediatè obligent ex jure naturæ, unde eadem sunt apud omnes gentes, & ad jus gentium pertinent, ut docet S. Thomas supra quæst. 95. art. 4. bene tamen in leges humanas secundo modo contentas in principiis naturæ, cum illæ immediatè non obligent ex jure naturæ, sed ex præcepto & imperio Principis, qui sicut potuit à principio tales leges non ponere, ita & ab illis semel positas certas personas per dispensationem vel per privilegium eximere potest.

9. In hoc omnes Theologi conveniunt, sed dubitatur, & quæritur primò, an liceat superiori subditum sine justa causa à lege humana dispensare?

Respondeo negativè, contra aliquos Authores relatos à Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 8. qui existimant supremum Principem, etiam sine justa causa, in sua lege dispensare posse, solamque Principis voluntatem dicunt justam esse causam dispensationis. Oppositum docent alii Theologi cum S. Thoma hic art. 4. ubi hæc scribit: *Ille qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, qua sua auctoritati innititur, ut scilicet in personis, vel in casibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat, ut præceptum legis non servetur. Si autem absque hac ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens: infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune;*
Tom. III.

A imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret. Propter quod Dominus dicit Luca 12. *Quis pius est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Quibus verbis rationem fundamentalem nostræ resolutionis insinuat; nam contra fidelitatem & implicitum pactum cum republica agit Princeps, qui absque justa causa à legibus commune bonum spectantibus cum aliquo dispensat: Ergo peccat sine justa causa dispensando. Consequentia patet. Antecedens probatur, Princeps potestatem legislativam, in qua includitur dispensativa, cum tacita conditione à regno vel republica accipit, ut illa uti non possit in destructionem & nocumentum ipsius regni ac republicæ: Ergo contra fidelitatem & implicitum pactum cum republica agit, dum in legibus communibus sine causa dispensat. Unde Bernardus lib. 3. de considerat. cap. 4. *Quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniat. Vbi necessitas viget, excusabilis dispensatio. Vbi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas (dico) non propria, sed communis. Nam cum nihil horum est; non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.*

Addo quod, quisquis sine justa causa dispensat, imprudenter & irrationabiliter agit, eximendo à lege communi eum qui non est eximendus; quod est vitium acceptionis personarum, oppositum justitiæ distributiæ respectu Principis, peccantis contra suum officium. Unde Tridentinum sess. 25. cap. 18. de reform. prohibet dispensare, sine urgenti justaque causa.

Quæres secundo, an dispensatio sine justa & rationabili causa concessa, nedum illicita, sed etiam invalida sit?

Respondeo quod dispensatio legis data à supremo Principe, hoc est à Legislatore, sive ab eo qui est æqualis ei, aut etiam superior, sine causa legitima, est valida in utroque foro; secus verò dispensatio data ab inferiori in lege superioris, sine legitima causa.

Ratio primæ partis est, quia lex omnino pendet à voluntate Legislatoris in fieri & conservari, qui sicut à principio potuit eam non condere, ita & eam potest in totum abolere, per abrogationem, & ex parte tollere seu restringere, eximendo aliquem vel aliquos ab ejus obligatione, quod fit per dispensationem. Ergo dum Legislatior absolute & sine causa, vult aliquem à lege eximere, illico manet exemptus, & legis obligatio, respectu illius, manet sublata; alias conservaretur & superstes maneret vis legis, independenter à voluntate, imò contradicente voluntate Legislatoris; quod non est minus impossibile, quam creaturam conservari in suo esse & virtute, suspendente Deo circa illam suum concursum conservativum.

Ratio verò secundæ partis est: Cum nequeat inferior in lege superioris dispensare, nisi per potestatem sibi à superiore concessam; cumque rationabiliter præsumi non possit, superiorem potestatem concedere inferiori, ut sine justa causa in sua lege dispense, sequitur omnem dispensationem factam ab inferiore in lege superioris, sine justa causa, esse invalidam & nullam, defectu potestatis. Hinc

Colligitur primò, dispensationem factam à Summo Pontifice in votis, vel in aliis quæ sunt de jure divino, aut naturali, sine legitima causa, invalidam esse, subindeque sic dispensatum, non

102

118

122

132

posse tali dispensatione uti, tutâ conscientiâ; quia Summus Pontifex non accepit à Christo potestatem dispensandi in jure divino, aut naturali, sine rationabili causa, ut rectè observant Cajetanus in Summa verbo, *Dispensatio*, Sylvester verbo *Votum* 4. quæst. 3. & Sotus de justitia & jure quæst. 7. art. 3. ad 3.

14. Colligitur secundo, Summum Pontificem posse validè dispensare, ex plenitudine suæ potestatis, in quibuscunque legibus ac statutis Conciliorum generalium, & aliorum Summorum Pontificum, etiam sine legitima causa. Quia omnes istæ leges sunt juris humani, supra quod Summus Pontifex habet supremam & plenam potestatem, quâ & illud potest in totum abolere, per abrogationem, ac tollere per dispensationem, licet quidem & validè, cum causa; illicitè verò, sed validè, si nulla causa justa talis dispensationis existat. Unde Bernardus lib. 3. de considerat. ad Eugenium Papam, cap. 4. *Sic faciendo* (inquit) *probatu* *vos habere plenitudinem potestatis, sed justitia foris non ita. Hoc facitis, quia potestis; sed utrum & debeatis, quæstio est. Honorum ac dignitatum gradus conservare positi estis, non invadere.*

15. Colligitur tertio, dispensatum à superiori in ejus lege, sine causa, non peccare utendo tali dispensatione, sed eâ posse uti tutâ conscientiâ. Nullus enim peccat utendo jure suo: At sic dispensatus utitur jure suo, utendo indulgentiâ dispensationis sibi concessâ: Ergo non peccat in hujus dispensationis usu.

Nec valet quod ait Martinonus in Tractatu de legibus, disp. 32. sect. 3. num. 27. quod licet utens tali dispensatione non peccet contra legem humanam, quæ definit ipsum obligare, peccat tamen contra jus naturale, quia turpis est pars, quæ toti non consentit. Non valet, inquam, quia licet turpis sit pars quæ à toto sine causa discordat, non tamen quæ discordat à toto, cum causa: At ille qui utitur tali dispensatione, non discordat à toto sine causa, nam ad non servandum legem illam in qua est dispensatus, habet causam & titulum legitimum, scilicet beneficium dispensationis: Ergo nec contra legem humanam, nec contra jus naturale peccat.

16. Colligitur quarto, inferiorem Prælatum, vi suæ potestatis ordinariæ, non posse dispensare in lege Prælati superioris. Nam dispensare est tollere vim legis ex parte, & respectu personæ quæ dispensatur: Sed tollere vim legis, est duntaxat illius qui legem condidit, vel qui æquali cum eo gaudet potestate; non verò illius qui potestatem inferiorem habet: Ergo Prælatus inferior non potest, vi suæ potestatis ordinariæ, dispensare in lege superioris.

17. Sunt tamen aliqui casus in quibus Prælatus inferior, potest, vi suæ potestatis ordinariæ, in lege Prælati superioris dispensare. Primus est, quando levis est materia, ita ut transgressio legis sit tantum veniale; sicut enim veniale peccatum nulli est reservatum, sed quilibet Sacerdos ab eo potest absolvere; sic etiam ab obligatione legis potest inferior prælatus, ratione levitatis materiæ dispensare. Addo quod nec rationi nec rectæ & suavi gubernationi consonum est, ut semper pro levibus ad superiorem recurratur, tamen si ad illum facilis sit recursus.

Secundo potest dispensare inferior prælatus in his quæ frequenter occurrere solent, cujusmo-

di sunt dispensatio in jejuniis, in festis celebrandis, & similibus; nam & grave esset Principi, & nimis difficilis redderetur gubernatio, & satis limitata esset auctoritas gubernantis, si in hujusmodi præceptis dispensandis, semper recurrendum esset ad ipsum Principem.

Tertio potest dispensare inferior prælatus in his quæ ita propria sunt unius communitatis, ut nullo modo convenient alii. Ea enim quæ sunt propria unius communitatis, sunt magis nota & perspicua immediato gubernatori, quam supremo Principi aut Prælato, ac proinde melius ipsæ quam superior de iis judicare poterit.

18. Quarto, potest dispensare inferior prælatus, cum in casu extraordinario urget necessitas dispensandi, atque periculum in mora, & valde difficilis est ad superiorem recursus. Sic posset Episcopus dispensare in impedimento matrimonii, alioquin dispensabili, si cum defectu occulto palam in facie Ecclesiæ, saltem cum alterius conjugis bona fide, fuisset celebratum; ipsa verò separatio fieri non posset, nisi cum maximo incommodo. Secus autem, si nondum esset in facie Ecclesiæ celebratum, ad Summum enim Pontificem tunc recurrendum esset.

19. Demum potest prælatus inferior dispensare, cum dubium est utrum casus dispensatione egeat, vel non, tunc enim præsumptio est pro libertate, quæ possidet; unde fit ut casus, nisi certus sit, reservatus communiter non censeatur.

ARTICVLVS II.

An, & à quo, & quibus modis, lex humana abrogari possit?

20. Constat ex dictis articulo præcedenti, abrogationem à dispensatione differre, abrogatio enim est totius legis ablatio; dispensatio vero est solum quædam legis restrictio & limitatio circa aliquam personam, aut aliquos effectus, manente illius obligatione circa alios.

21. Constat etiam differre abrogationem ab irritatione, derogatione, correctione, & cessatione legis. Irritare legem, est impedire, ne illa obligandi robur obtineat. Abrogare, est, postquam vim obligandi lex obtinuit, illam in universum tollere. Derogare est, illam non in totum, sed in partem tollere. Corrigitur legem est, illam moderari, addendo vel demendo aliquid. Demum lex cessare dicitur, quando vel finitur tempus, pro quo illa ad obligandum posita fuit, vel cessat causa propter quam lata fuerat. His præmissis

22. Dico primò, leges humanas mutari & abrogari posse; abrogari tamen aut mutari non debere, nisi ex tali abrogatione vel mutatione major aliqua utilitas speretur. Ita D. Thomas hic art. 1. & 2.

23. Probatum prima pars ratione quam art. 1. insinuat, nam leges humanæ considerari possunt vel ex parte rationis humanæ à quo procedunt, vel ex parte hominum quorum actus lege diriguntur: Sed ex utroque capite mutabiles sunt: Ergo leges humanæ mutari & abrogari possunt. Minor quantum ad primam partem evidens est, cum enim ratio humana finita & limitata sit, & ab imperfecto ad perfectum procedat, non potuit legislator statim à principio prævidere omnia quæ ad utilitatem Reipublicæ magis conducere

possunt, unde posteri beneficio temporis, poterunt aliqua excogitare ad Reipublicæ utilitatem conducentia, quæ non excogitarunt Majores: Ergo ex parte rationis humanæ, quæ est legum constitutiva, leges humanæ mutabiles sunt. Quod verò etiam ex parte morum & temporum, mutationi obnoxie sunt, etiam constat; sæpè enim aliqua lex uno tempore expedit, quæ alio, variatis hominum moribus, expedire non judicatur. Ita Deus aliis legibus & præceptis usus est hominibus regendis, ante ac post Christi adventum; aliisque legibus utitur in præfenti, ac usurus est in futura vita, variatâ hominum conditione ac statu vivendi. Aliud exemplum affert S. Thomas ex Augustino lib. 1. de libero arbitrio capite 6. ubi sic ait: *Si populus bene moderatus (vel ut alii legunt, bene moratus) sit, communisque utilitatis diligentissimus custos, in quo unusquisque minoris rem privatam quàm publicam pendat, nonne rectè lex fertur, quâ tali populo liceat creare sibi magistratus, per quos Republica administretur? Porro si paulatim depravatus idem populus, rem privatam publica rei præferat, atque habeat venale suffragium, corruptusque ab eis qui bonores amant, regimen in se flagitiosis consceleratisque committat, nonne item rectè, si quis tunc existerit vir bonus, qui plurimum possit, adimat huic populo potestatem dandi honores, & in paucorum bonorum, vel etiam unius redigat arbitrium?*

21. Probatur etiam secunda pars conclusionis ratione quam insinuat Divus Thomas articulo 2. Plus detrimenti timendum est, quàm utilitatis sperandum, in legum mutatione, propter periculum contemptus legum ex una parte, & majoris facilitatis servandi antiquas, quibus diurnâ observatione assuevimus: Ergo nisi hæc compenfentur certâ spe majoris utilitatis, quæ ex hujusmodi mutatione legum speretur, non licebit eas mutare. Unde Ulpianus Digesto veteri libro 1. tit. 4. de Constitutionibus Principum lege 2. *In rebus novis constituendis evidens debet esse utilitas, ut recedatur ab eo jure quod diu aquum visum est.*

22. Advertendum tamen, quod licet Legislator peccet, abrogando leges absque ulla causâ & utilitate, abrogatio tamen sic facta, valida est, nec tenentur amplius subditi legem sic abrogatam servare; quia lex essentialiter constituitur voluntate & imperio Principis, unde eo, ob quamcunque tandem rationem sublato, cessat lex, subindeque obligatio ejus; nam ubi lex non est, nec legis obligatio esse potest.

23. Dico secundò, quivis Legislator potest legem quam condidit abrogare; superior etiam potest legem inferioris abrogare, non tamen inferior legem superioris.

Prima pars patet, cum enim, ut supra dicebamus, lex essentialiter constituatur voluntate & imperio Legislatoris, ab eo dependet in esse & conservari, subindeque eo sublato cessat lex.

Secunda etiam evidens est, quia superior habet plenam potestatem supra inferiorem, & consequenter supra omnes leges ab eo conditas.

Tertia verò, quæ asserit, inferiorem non posse legem superioris abrogare, habetur in Clementina, *Ne Romani Pontificis*, in qua à Clemente V. definitur, legem superioris non pos-

A se per inferiorem abrogari, corrigi, aut mutari, cum inferior nullum jus aut potestatem habeat in superiorem, ejusque constitutiones ac leges. Unde Episcopi, vel Cardinales, leges Pontificias abrogare nequeunt, multòque minus possunt Laici legibus & canonibus Ecclesiasticis derogare. Similiter Magistratus civiles, & communitates, aut Principes, alteri superiori subiecti temporaliter, non possunt legibus ejus civilibus, & juri communi totius ejus imperii derogare, aut contrarium aliquid in proprio territorio statuere, ut malè docent nonnulli Juristæ, perperam in hunc sensum allegantes legem *Omnes populi*, ff. de justitia & jure, ubi solum dicitur, civitates Imperatori subiectas habere potestatem condendi leges proprias, & suis moribus accommodatas. Quod intelligendum est de legibus non contrariis legibus imperialibus, quæ scilicet quamvis aliquid novum & diversum statuunt, non tamen repugnans & contrarium.

B Dico tertio, tribus modis lex antea acceptata abrogari potest, primò, per expressam revocationem Principis; secundò, per constitutionem novæ legis priori repugnantis; tertio, per contrariam consuetudinem.

C Conclusio patet quoad omnes partes. Advertendum tamen est, quod si abrogatio fiat per contrariam legem, debet illa lex promulgari, ut habeat vim completam abrogandi alteram; quia sine promulgatione non habet vim & rationem perfectam legis. Si verò lex simpliciter & purè revocetur, absque novæ legis constitutione, desinit quidem lex in re ipsa esse, hoc ipso quod Legislator interitus eam apud se revocat, nullo adhuc dato signo externo revocationis, manet tamen adhuc ejus obligatio in subditis, ob ignorantiam talis revocationis. Quare ut prudenter & utiliter legis revocatio fiat, debet subditis intimari, & quidem publicè, ad vitanda scandala, & morum dissimilitudinem, alioquin aliqui propter notitiam privatam revocationis, legem non servarent, aliis adhuc servantibus, & servari debere credentibus, ob ignorantiam revocationis illius, quod maximam in Republica deformitatem, dissimilitudinem, ac turbationem induceret.

Quæres, quinam sint casus in quibus cessat obligatio legis humanæ?

Respondeo obligationem legis humanæ cessare primò, si ejus observatio reddatur nociva. Secundò, si ejus observatio fiat impossibilis cum lege naturali, vel divina. Tertio, si ratione subiecti, vel alicujus circumstantiæ particularis, lex fiat observatu moraliter impossibilis. Demum quando cessat tota & integra ratio propter quam lex fuit lata, eo ipso cessat legis obligatio, ut docent Cajetanus, Navarrus, Henriquez & alii, quamvis Suarez lib. 6. de legibus cap. 9. oppositum doceat, licet enim fateatur, quod quædam leges præcipiunt actus de se indifferentes, ut ferre aut non ferre arma, exportare aut non exportare triticum, & similia, cessent, deficiente fine adæquato ad quem leges illæ ordinantur; contendit tamen, quod quando lex præcipit actum de se bonum, non cessat, deficiente fine extrinseco quem legislator intendit, quia, inquit, bonitas intrinseca, quæ pollet, est finis proximus & intrinsecus legis.

Opposita tamen sententia videtur probabilior, 26.

per bonitatem præceptorum quæ continet:
Ergo lex vetus non fuit bona.

3. Respondet S. Thomas hic art. 1. ad 1. quod Dominus loquitur ibi de præceptis ceremonialibus, quæ quidem dicuntur non bona, quia gratiam non conferebant, per quam homines à peccato mundarentur, cum tamen per huiusmodi se peccatores ostenderent, unde signanter dicitur, *Et iudicia in quibus non vivunt, id est per quæ vitam gratia obtinere non possunt.*

4. Secundò responderi potest, per illa præcepta non bona Ezechiel. 20. non intelligi legem Mosaicam, sed præcepta hominum non bona, & iudicia iniqua, & superflitiones ab illis introductas: quæ omnia Deus dicitur dedisse, id est dari permisisse, in pœnam transgressionum legis suæ. Hunc enim esse verum istius loci sensum, patet ex præcedenti versu 10. & 11. ubi Deus sic loquitur: *Ejeci ergo eos de terra Ægypti, & eduçi eos in desertum. Et dedi eis præcepta mea, & iudicia mea offendi eis, quæ faciens homo vivet in eis. Insuper & sabbatha mea dedi eis, &c.* Ubi per sabbatha intelligit præcepta ceremonialia, & per iudicia, præcepta judicialia. Tum addit versu 3. *Et irritaverunt me domus Israël in deserto, in præceptis meis non ambulaverunt, & iudicia mea projecerunt, quæ faciens homo, vivet in eis; & sabbatha mea violaverunt vehementer, &c.* Ac denique subiungit versu 25 & 26. se in pœnam harum transgressionum dedisse eis, id est, permisisse dari, præcepta non bona, &c. alia scilicet à præcedentibus, neque à Deo, sed ab hominibus imposita. Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non vivunt, &c.

5. Obijcitur secundò: Ad bonitatem legis pertinet, ut communi saluti proficiat: Sed lex vetus non fuit salutifera, sed magis mortifera & nociva; dicit enim Apostolus ad Romanos 7. *Sine lege peccatum mortuum erat, ego autem vivebam sine lege aliquando, sed cum venisset mandatum, peccatum revixit, ego autem mortuus sum.* Et 2. ad Corinth. 3. *Littera occidit, Spiritus autem vivificat, ubi nomine litteræ, legem intelligit.* Item ad Roman. 5. dicitur: *Lex subintravit, ut abundaret delictum:* Ergo lex vetus non fuit bona.

6. Respondeo cum S. Thoma hic art. 1. ad 2. quod lex dicitur occidisse, non quidem effectivè, sed occasionaliter ex sua imperfectione, in quantum scilicet gratiam non conferebat, per quam homines implere possent quod mandabat, vel vivere quod verabat, & sic occasio ista non erat data, sed sumpta ab hominibus; unde & Apostolus ibidem dicit: *Occasione accepta peccatum per mandatum seduxit me, & per illud occidit.* Ex hac etiam ratione dicitur, quod lex subintravit, ut abundaret delictum, ut ly ut teneatur consecutivè, non casualiter, in quantum scilicet homines accipientes occasionem à lege, abundantius peccaverunt; tum quia gravius fuit peccatum post legis prohibitionem; tum etiam quia concupiscentia crevit, magis enim concupiscentius quod nobis prohibetur.

7. Similia docent SS. Patres: Augustinus enim de Spiritu & littera cap. 4. querens cur lex vetus dicitur à Paulo occidere? Respondet, legem dici occidere, quòd Spiritus vitam, id est gratiam, vi suâ largiri nequiret, & concupiscentiam prohibendo augetet. *Doctrina* (inquit) *quæ mandatum accipimus, littera est occidens, nisi adsit vivificans Spiritus, ubi Sanctus non adjuvat Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala, concupiscentiam bonam, id est charitatem. Lex illa*
Tom. III.

quamvis bona, auget prohibendo desiderium malum sicut aquæ impetus vehementior fit obice opposito; nescio enim, quomodo hoc ipsum quod concupiscitur, sit jucundius, cum vetatur. Et Chrysostomus homil. 12. in Epist. ad Romanos: *Cum quidpiam concupiscentius, deinde prohibemur, concupiscentia flamma magis utrolium.* Subdit ibidem, hanc concupiscentiæ irritationem, non esse vertendam vitio legi, sed homini. *Lex* (inquit) *prohibuit, ut te ab eo abducas, peccatum verò, id est segnitie tua, & mens mala, bono in contrarium usa est; verum non id medici crimen, sed ægroti, qui quod accepit medicamentum, eo non re-
Et usus est; non enim ob id legem Deus dedit, ut concupiscentiam accenderet, sed ut restingeret, &c.*

Obijcitur tertio: Ad Hebræos 8. dicitur vetus testamentum culpâ non vacasse: *Si prius* (testamentum) *culpâ vacasset, non utique secundò locus inquireretur:* Ergo ex Apostolo lex vetus mala fuit & culpabilis.

Respondeo primò, culpam eo loco non sumi pro peccato, sed pro imperfectione, defectu, & infirmitate; ideoque quando Apostolus dixit, prius testamentum culpâ non vacasse, tantum voluit ipsum testamentum imperfectum fuisse, & habuisse aliquem defectum, eò quòd gratiam non conferret, ad perfectum non adduceret, & ad æternam salutem immediatè suos observatores non eveheret.

Respondeo secundò, si nomen culpæ pro reatu peccati sumatur, sensus Apostoli est, si vetus testamentum culpâ vacasset, id est inculpabiles fecisset observatores suos, nunquam secundò locus relinqueretur, ut exponunt Ambrosius, & D. Thomas ibidem, & Chrysostomus homil. 14. in Epist. ad Hebræos. Itaque non dicit Apostolus, legem veterem non vacasse culpâ in seipsa, sed non vacasse culpâ in suis subditis qui eam sepe transgrediebantur, quibusve gratiam vi suâ non dabat ad non transgrediendum, neque culpam transgressionis abolebat vi suâ, & ex propriis. Propter quod etiam cap. 7. ejusdem Epistolæ ad Hebræos, ait Paulus, vetus illud mandatum, propter infirmitatem ejus & inutilitatem, id est inefficaciam, reprobatum fuisse.

Obijcitur quartò: Lex ut sit justa & bona, debet esse possibilis ad observandum, & secundum naturam, & secundum humanam consuetudinem, ut supra ex Isidoro vidimus: Sed hoc non habuit lex vetus, ut constat ex illo Petri Act. 15. *Quid tentatis imponere iugum super cervicem Discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus?* Ergo lex vetus non fuit justa & bona.

Respondeo, concessâ Majori, negando Minorè, lex enim Mosaica fuit quidem difficilis, non tamen impossibilis; Dei enim gratia Judæis non defuit, quâ illam adimplere possent, tamen gratiam non daret lex ex propriis, sed ex meritis Christi venturi conferret. Erat autem difficilis, si conferretur cum lege Evangelica, quæ est facilior; quia nimirum lex Mosaica data fuit Judæis, qui erant in statu servorum; lex Evangelica data est Christianis, qui sunt in statu filiorum: servorum autem conditio difficilior est quàm filiorum.

Obijcitur quintò: Lex illa mala est, quæ præcipit aut permittit aliqua mala, & à recta ratione aliena: Sed talis erat lex vetus, præcipiebat enim vel saltem mittebat Levit. 19. odium inimicorum; unde Christus Matth. 5. dicebat Discipu-

lis suis: *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Item Deuteron. 21. permittitur uxorum pluralitas, his verbis: *Si habuerit homo plures uxores, &c.* & cap. 23. permittitur usura circa alienigenas, & libellus repudij cap. 24. Quæ omnia repugnant legi naturali & rectæ rationi, ideòque fuerunt per Christum sublata.

14. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, & ad primam illius probationem dico, falsò supponi odium inimicorum, præcipi Levitici 19. Ibi enim sic dicitur: *Non quæres ultionem, nec memor eris injuria Civium tuorum.* Ad id verò quod dicitur Matth. 5. varij varia respondent. Quidam enim affirmant, licitum fuisse apud Judæos odio prosequi inimicos legales, ut Hethæos, Amorthæos, Philistinios, & reliquos, cum quibus nunquam ex lege pacifici poterant, non tamen privatos & particulares. Alii docent, hæc verba fuisse permissiva: quatenus Judæis aliqua, quæ cum lege naturæ pugnant, ad duritiam cordis permittebantur. Alii probabilitè dicunt, hæc verba Matth. 5. *Audistis quia dictum est antiquis, &c.* tantùm arguere interpretationem quorundam Rabinorum deductam ex ijs Scripturæ locis in quibus habetur, *Diliges amicum tuum*, ex quo per fallam illationem à contrarijs inferebant: *Ergo odio habendus est inimicus.* In hac autem illatione fallebantur, tum quia vox Hebraica רֵעִים *Reeacha*, quæ habetur Levit. 19. vers. 18. significat sodalem, familiarem, socium; unde notat Mercerus in Thesauro Pagnini, quod in novo Testamento vertitur *πρόσμιος*, proximus, qui alteri scilicet animo conjunctus est. Igitur non præcisè amicum significat, sed quemcumque proximum; quilibet autem homo, sive amicus, sive inimicus, propter naturæ communitatem, est noster proximus. Tum etiam, quia cum odium inimici sit intrinsecè malum, pugnetque cum illo legis naturæ principio: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, & lex naturalis per legem à Moysè scriptam non esset abrogata, eorum Rabinorum illatio & interpretatio non poterat non esse falsa, & à vero scripturæ sensu penitus aliena.*

Ad secundam probationem dicendum, Deum in veteri lege dispensasse cum Judæis, ut plures haberent uxores, & ut per libellum repudij possent uxores dimittere, & alias ducere. De quo fusè in Tractatu de matrimonio disp. 1. & 5.

Ad tertiam respondent aliqui, Deum tanquam supremum Dominum omnium bonorum dedisse Israëlitis jus accipiendi aliquid supra sortem ab alienigenis, subindeque Judæos fœnerando nullam commisisse injustitiam. Sed meliùs responderetur cum D. Thoma 2. 2. quæst. 78. art. 1. ad 2. usuram erga alienigenas non fuisse approbatam, aut permissam in veteri lege, sed tantùm impune toleratam pro foro externo & non interno; quemadmodum in Republica minora mala, ad vitanda majora, interdum impune à Principibus & Magistratibus tolerantur.

15. Obijcit sextò: *Lex vetus bonorum temporalium abundantiam Judæis promittebat, ut cõstat ex illo Deuteron. 28. Simandata mea observaveris, benedictus eris in agro, in civitate egrediens & ingrediens:* Sed rerum temporalium abundantia, periculosa & nociva est ut plurimum; qui enim primi sunt in divitiis, saepe in vitiis, ut inquit Salvanus de providentia. Cui consonat illud Poëtæ,

Effodiuntur opes irritamenta malorum. Unde ab ea abhorruit Salomon, cum petiit à Domino, *Divitias neque pauperitatem dederis mihi:* Ergo lex vetus mala & nociva observatoribus suis promittebat & conferebat, subindeque bona non erat.

16. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem; abundantia enim rerum temporalium, solum nociva est, quando in divitiis tanquam in ultimo fine conquelescimus; sed si iis cum moderatione utamur, & cor ab illis abstrahamus, earum abundantia ad salutem utilis esse potest. Unde Augustinus de divitiis loquens, sic ait: *si fuerint supra nos, demergent nos; si fuerint infra nos, attollent nos.*

§. II.

Statuitur secunda conclusio, & legis veteris utilitas declaratur.

Dico secundò, legem veterem non solum fuisse bonam, sed etiam utilem.

17. Probatur conclusio exponendo varias legis hujus utilitates. Prima est, quod per eam cognoscebant homines se esse peccatores, juxta illud Apostoli ad Romanos 3. *Per legem cognitio peccati, & cap. 7. Peccatum non cognovi nisi per legem:* Hæc autem cognitio non potuit non esse illis valde utilis & proficua; sicut enim via ad recuperandam sanitatem, est cognitio suæ infirmitatis; ita via ad gratiam justificantem, est cognitio sui peccati.

Hinc oritur secunda utilitas legis, cum enim viderent Judæi se esse peccatores, & indigere Christo Redemptore, cœperunt eum summo desiderio expectare, ut patet ex illo Psalmi 145. *Domine inclina cœlos tuos & descende.* Isaia 64. *Viam disrumpes cœlos, & descenderes.* Et iterum, *Rorate cœli desuper & nubes pluant justum.* Et Cantic. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* In quæ verba, in persona Israëlitarum, præclare ait Doctor mellissimus: *Non loquatur mihi Moyses, siquidem imperitoris lingua factus est mihi: Ieremias nescit loqui, quia puer est; Isaia labia immunda sunt; omnes Propheta elingues sunt; ipse ipse, quem loquuntur, osculetur me osculo oris sui.* Hanc utilitatem brevissimè complexus est D. Augustinus lib. de spiritu & littera cap. 19. cum ait: *Lex data est, ut gratia quaereretur, gratia data est, ut lex impleteretur.*

Tertia utilitas est, quòd Judæi per legem Moisaicam, non tantùm cognoscebant se esse peccatores, & indigere gratiâ Christi, ut jam dictum est, sed etiam paulatim disponebantur & erudiebantur ad altiorum Christi doctrinam suscipiendam, unde ad Galatas 3. *Lex Pedagoga noster fuit in Christo.* Præsertim verò, quia talis lex proponebat illis umbras, figuras, involucra, sub quibus Christus promittebatur. Proponebat, inquam, cruenta animalium sacrificia, ut inde assurgerent ad investigandum cruentum sacrificium in cruce. Proponebat circumcissionem, figuram Baptismi; purificationes, figuram pœnitentiæ; agnum Paschalem, figuram Eucharistiæ; æneum serpentem, figuram Christi in cruce pendentis, & sic de cæteris.

Quarta utilitas, Lex Moisaica metu acerbissimarum pœnarum Israëlitis in officio continebat, & à peccato deterrebat, sicque rigore suo valde proderat illis, præsertim cum propter suam ruditiem & feritatem aliter in officio contineri non possent. Unde Hieronymus ad illud ad

Galatas 3. Lex pedagogus noster fuit in Christo: A
Pedagogus (inquit) parvulis assignatur, ut lascivius refranetur aetas, & prona in vitia corda teneantur, dum tenera in studijs erudiuntur infantia, & ad majores disciplinas metu poenae coercita preparatur. Itaque & lascivienti populo lex Moysis adinstar Pedagogi severioris apposta est, ut custodiret eos, & futurae fidei prepararet.

§. III.

Statuitur tertia conclusio, & in quo sensu lex Mo-
saica imperfecta fuerit, breviter declaratur.

Dico tertio, licet lex Moisaica fuerit bona & utilis, tamen non fuit perfecta, sed imperfecta, non positive sed negative & comparative, id est minus perfecta, quam lex Evangelica.

18. Prima pars constat primo, ex eo quod lex Moisaica gratiam justificantem, in qua perfectio & efficacia ad aeternam salutem consequendam consistit, non conferret: Joan. 1. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Et Paulus saepius ait justitiam non esse ex lege, sed ex fide in Christum. Et ad Galat. 4. ejus Sacramenta vocat infirma & egena elementa, id est vacua gratiae, quam tantum significabant. Et ad Hebraeos 7. ait: Nihil ad perfectum adduxit lex.

Hanc rationem egregie illustrat D. Thomas hic art. 1. ubi sic dicitur: Perfecta bonitas est in his qua ad finem ordinantur, quando aliquid est tale, quod per se est sufficiens inducere ad finem; imperfectum autem bonum est, quod operatur aliquid ad hoc quod perveniatur ad finem, non tamen sufficit ad hoc quod ad finem perducatur: sicut medicina perfecte bona est, qua hominem sanat; imperfecta autem est, qua hominem adjuvat, sed tamen non sanare potest. Est autem sciendum, quod est alius finis legis humanae, & alius legis divinae: Legis enim humanae finis, est temporalis tranquillitas civitatis, ad quem finem pervenit lex cohibendo exteriores actus, quantum ad illa mala quae possunt perturbare pacificum statum civitatis; finis autem legis divinae est perducere hominem ad finem felicitatis aeternae, qui quidem finis impeditur per quodcumque peccatum; & non solum per actus exteriores, sed etiam per interiores; & ideo illud quod sufficit ad perfectionem legis humanae (ut scilicet peccata prohibeat, & poenam apponat) non sufficit ad perfectionem legis divinae, sed oportet quod hominem totaliter faciat idoneum ad participationem felicitatis aeternae, quod quidem fieri non potest, nisi per gratiam Spiritus Sancti, per quam diffunditur Charitas in cordibus nostris, qua legem adimplet; Gratia enim Dei, vita aeterna, ut dicitur Roman. 6. Hanc autem gratiam lex vetus conferre non potuit, reservabatur enim hoc Christo, quia dicitur Joan. 1. Lex per Moysen data est; gratia & veritas per Iesum Christum facta est; & inde est quod lex vetus bona quidem est, sed imperfecta, secundum illud Hebr. 7. Nihil ad perfectum adduxit lex.

20. Secunda etiam pars conclusionis ab eodem S. Doctore supra quaest. 91. art. 5. in corp. sic declaratur & probatur: Attenditur perfectio & imperfectio legis, secundum tria qua ad legem pertinent. Primo enim ad legem pertinet, ut ordinetur ad bonum commune sicut ad finem. Quod quidem potest esse duplex, scilicet bonum sensibile & terrenum; & ad tale bonum ordinabatur directe lex Tom. III.

vetus, unde statim Exodi 3. in principio legis invitatur populus ad Regnum terrenum Chananeorum. Et iterum bonum intelligibile & caeleste, & ad hoc ordinat lex nova; unde statim Christus ad Regnum caelorum in sua predicationis principio invitavit, dicens Paenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum, Matth. 4. Et ideo Augustinus dicit 4. contra Faustum, quod temporalium rerum promissiones in Testamento veteri continentur, & ideo vetus appellatur, sed aeterna vitae promissio ad novum pertinet Testamentum. Secundo ad legem pertinet dirigere humanos actus secundum ordinem justitiae, in quo etiam superabundat lex nova legi veteri, interiores actus animi ordinando, secundum illud Matth. 5. Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum, & ideo dicitur, quod lex vetus cohibet manum, lex nova animum. Tertio ad legem pertinet inducere homines ad observantiam mandatorum, & hoc quidem lex vetus faciebat timore poenarum: Lex autem nova facit hoc per amorem, qui in cordibus nostris infunditur per gratiam Christi, qua in lege nova conferretur, sed in lege veteri figurabatur; & ideo dicit Augustinus contra Adamantium Manichaei Discipulum, quod brevis differentia legis & Evangelij, timor & amor.

Plura alia sunt in quibus lex nova veterem superat, & lex Moisaica Evangelicae inferior est. In primis enim lex Moisaica fuit imperfectior Evangelicae, ex parte causae efficientis, nam licet utraque Deum Authorem habuerit, tamen lex vetus per Moysen, nova per Christum Deum & hominem data est; juxta illud Joan. 1. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.

Secundo fuit etiam imperfectior lex Moisaica, ex parte eorum quibus tradita fuit; nam lex nova lata est pro omnibus hominibus, & orbe universo, juxta illud Christi Matth. ultimo. Euntes docete omnes gentes, &c. At Moisaica soli populo Judaeorum lata est, ut docet D. Thomas hic quaest. 98. art. 4. & patet ex ejus proemio Exodi 20. Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti, &c.

Tertio lex Moisaica fuit imperfectior ratione durationis, nam lata fuit ad tempus, usque ad Christi adventum, juxta illud Apostoli ad Galat. 3. Lex propter transgressionem posita est, donec veniret semen: Id est lex Moysis lata est, ut transgressionem & peccata cohiberet, donec Christus Abraham semen veniret. Lex autem Evangelica, in perpetuum, usque ad mundi consummationem, duratura est, juxta illud Christi Matth. 26. Hic est Calix sanguinis mei, novi & aeterni Testamenti. Ubi novum Testamentum, aeternum appellatur, quia nullo unquam tempore antiquabitur, nullumque Testamentum illi succedet, ut docet Anselmus ad cap. 13. Epistolae ad Hebraeos. Vel Testamentum aeternum dicitur, eo quod gratiae charitatis, & gloriae Testamentum sit, quae tria sempiterna sunt. Unde Cajetanus ad Hebraeos 8. Testamentum (inquit) novum, manet in aeternum, aeterna enim est gratia, qua hic inchoatur, & in patria consummatur, semper novos reddens eos in quibus est.

Quarto, lex Moisaica fuit etiam imperfectior ratione materiae, nam ultra praecipua moralia juris naturalis, continebat alia plurima ceremonialia & judicialia, quae difficillimum erat observare. Propter quod Petrus Act. 15. dicebat: Quid

sentatis imponere jugum super cervices Discipulorum, quod neque Patres nostri neque nos portare potuimus? Lex autem Evangelica pauca habet, præter moralia, vil legis naturalis necessaria. Unde Augustinus Epist. 118. *Levi jugo suo Christus nos subdidit, & sarcina levi. Sacramentis numero paucissimis, observatu facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit.* Nec obstat quod in lege Evangelica sint aliqua præcepta difficilia, ut præceptum de unitate & indissolubilitate matrimonij, de necessitate confessionis, & similia; illa enim propter abundantiam gratiæ, quæ à Christo in lege nova confertur, redduntur facilia, juxta illud Isaïæ 10. *In die illa auferetur onus ejus de humero tuo, & jugum ejus de collo tuo, & computrescet jugum à facie olei.*

25. Quintò lex Mosaïca fuit imperfectior ex parte modi quo data est, fuit enim descripta in lapidibus, ministerio Angelorum. At lex nova fuit scripta in cordibus & mentibus hominum, per ipsum Dei hominis verbum, cooperante Spiritu sancto, per abundantiam gratiæ & illuminationis. De quo fusiùs disp. sequenti art. 2.

ARTICVLVS II.

An lex vetus fuerit à Deo data, & ubi, ac quomodo tradita fuerit?

26. Sicut Manichæi, ut supra diximus, negarunt legem Mosaïcam fuisse bonam, sic etiam consequenter affirmarunt, non à Deo, sed à Diabolo datam esse, ut refert Augustinus in lib. de hæresibus cap. 46. ubi ponit hoc eorum dogma: *Denm, qui legem per Moysen dedit, & in Hebrais Prophetis locutus est, non esse verum Deum, sed unum ex principibus tenebrarum.* Similiter Ptolomæus apud Epiphanium hæresi 33. asserbat Mosaïcam legem datam fuisse à tribus, quorum nullus esset verus Deus, nempe partim à mundi opifice, quem Deum esse volebat, sed nomen quoddam secundarium; partim à Moysè, & partim à senioribus populi Judaïci.

27. Ex Catholicis verò Origenes homil. 16. in Numer. Hieronymus in cap. 19. Matthæi, circa illa verba: *Ad duritiem cordis vestri permisit vobis Moyses,* Hugo Cardinalis, & Beda ibidem, existimant, legem Mosaïcam, comprehensam in Exodo, Levitico, Numeris, & Deuteronomio, esse quidem majori ex parte à Deo ipso traditam; veruntamen aliqua ejus præcepta fuisse lata à Moysè, ex propria ejus autoritate, proprioque arbitrio; cujusmodi fuisse putant legem de libello repudij. Item Alphonsus Salmeron disp. 61. & 62. in Acta Apostolorum, docet legem Mosaïcam, quâ parte continet præcepta ceremonialia & judicialia, non habere authorem Deum, sed Moysen, qui ejus non solum promulgator, quoad hanc partem, sed & propriè author fuerit.

Denum aliqui SS. Patres, quos refert Baradas lib. 1. de prærogativis novi testamenti cap. 15. censent legem Mosaïcam non fuisse datam à Deo Moyfi, ministerio Angelorum, sed ab ipso Verbo Divino, in aëreo corpore viso, Moyfi immediatè traditam. Quod etiam innuere videtur Ecclesia in una ex septem Antiphonis, quas ante natale Domini cantat in vespere, in qua sic ait: *O Adonai, & dux domus Israël, qui Moyfi in ig-*

ne flamma rubi apparuisti, & ei in Sina legem dedisti, veni ad redimendum nos in brachio extenso. Ut hæreticorum error refellatur, & vera ac communis sententia declaretur, sit

§. I.

Prima pars qua sita resoluitur, & ostenditur legem veterem fuisse à Deo datam, & omnia illius præcepta fuisse à Deo instituta.

Dico primò, legem veterem fuisse datam à Deo.

Conclusio est certa de fide, ac definita in Tridentino sess. 4. decreto de Canonicis scripturis, ubi sic dicitur: *Omnes libros tam veteris quam novi testamenti, cum utriusque unus Deus sit autor, Ecclesia Catholica, pari pietatis affectu ac reverentiâ, suscipit & veneratur.* Colligitur etiam apertè ex Scriptura, nam Christus Matth. 15. loquens de lege Mosaïca, appellat eam mandatum Dei, cum ait: *Fructum fecistis mandatum Dei, propter Traditiones vestras.* Et Apostolus sæpe affirmat, Patrem Christi fuisse authorem veteris testamenti, ut ad Romanos 1. & Hebræos 1.

Ratio etiam suffragatur, nam ut discurrit D. Thomas hic art. 2. Eiusdem est proponere finem, & disponere media ad finem: Sed lex Evangelica est finis legis Mosaïcæ, juxta illud Apostoli ad Rom. 10. *Finis legis Christus:* Ergo idem Deus, qui est author legis Evangelicæ, est etiam author legis Mosaïcæ.

Dices: Opera Dei sunt perfecta, ut dicitur Deuteron. 32. At lex Mosaïca non est perfecta, ut articulo præcedenti diximus: Ergo Deus non est author illius.

Respondeo quod licet lex Mosaïca non sit absolute perfecta, quia deest illi aliquid quod habet lex Evangelica, nempe virtus & efficacia justificandi, & perducendi ad regnum cælorum, est tamen perfecta in suo genere; quia cum ex suo genere debeat esse umbra seu figura legis Evangelicæ, in eo genere nihil illi deest. Ita D. Thomas hic art. 2. ad 1. ubi sic ait: *Nihil prohibet aliquid non esse perfectum simpliciter, quod tamen est perfectum secundum tempus; sicut dicitur aliquis puer perfectus, non simpliciter, sed secundum temporis conditionem: ita etiam præcepta qua pueris dantur, sunt quidem perfecta secundum conditionem eorum quibus dantur, etsi non sint perfecta simpliciter; & talia fuerunt præcepta legis, unde Apostolus dicit ad Galat. 3. Lex pedagogus noster fuit in Christo.*

Dico secundò, omnia mandata, quæ sunt scripta in veteri lege, fuisse à Deo instituta, nec ullum à Moysè propria autoritate esse datum.

28. Probatur primò ex capite 20. Exodi versu 1. ubi lex Mosaïca incipit tradi his verbis: *Locutusque est Dominus cunctos sermones hos, Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis: non habebis Deos alienos coram me; non facies tibi sculptile &c.* Deinceps verò traduntur sub eodem tenore verborum omnia legis illius præcepta, sive moralia, & ad Decalogum pertinentia, sive ceremonialia, & judicialia, repetendo subinde, & inculcando sæpiùs verba illa: *Hac dicit Dominus, aut. Locutus est Dominus ad Moysen dicens &c.* Nam cap. 21. versu 1. ubi præcepta judicialia tradi incipiunt, Deus sic Moyfi loquitur: *Hæc sunt judicia quæ propones eis: si emeris servum Hebraum, sex an-*

nis serviet tibi &c. Et cap. 25. versu 1. in quo de praeceptis ceremonialibus agitur, sic dicitur: *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Loquere filiis Israel, ut tollant tibi primitias.* Ex quibus patet, non esse admittendam distinctionem illam Salmeronis in praecepta Decalogi, & in praecepta ceremonialia, quod illa fuerint immediatè à Deo tradita, autoritate, ut ipse loquitur, suppositi & virtutis; ista verò immediatione tantum virtutis, inspirando scilicet Moyse quæ vellet immediatè ab ipso constitui autoritate sibi à Deo data; hæc enim distinctio nullum habet fundamentum in Scriptura, quæ locis relatis significat, omnia illa praecepta simili modo fuisse ab ipso Deo lata, & Moyse tradita, ut ea promulgaret.

32. Probatur secundò conclusio: Si aliquod praeceptum legis fuisset à Moyse propriè autoritate datum, maximè praeceptum de libello repudij: Sed ne quidem tale praeceptum fuit à Moyse propriè autoritate datum: Ergo omnia mandata veteris legis fuerunt à Deo instituta, nec ullum à Moyse propriè autoritate datum fuit. Major est præcipuum fundamentum adversè sententiæ, Minor verò probatur ex eo quod per libellum repudij dabatur facultas dissolvendi prius matrimonium, ut ostendemus in Tractatu de matrimonio disp. 5. art. 2. At nullus hominum propriè autoritate potest dare talem facultatem, juxta illud Christi in Evangelio Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet:* Ergo praeceptum de libello repudij fuit à Deo institutum, non verò à Moyse propriè autoritate datum.

33. Dices, Lex vetus vocatur lex Moyse, Lucæ 2. Malach. 4. aliisque locis; & ipse Moyse non promulgator solum, verum etiam legislator fuisse dicitur à Clemente Romano, aliisque Patribus: Ergo aliqua hujus legis praecepta à Moyse propriè autoritate fuerunt tradita.

Respondeo iis locis quibus lex vetus, Moyse lex appellatur, vocari etiam legem Domini, aut aperte significari fuisse traditam à Deo. Nam Lucæ 2. sic dicitur: *Postquam impleti sunt dies purificationis ejus, secundum legem Moyse, tulerunt illum in Jerusalem, ut siscerent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini:* ad significandum scilicet, eandem esse legem Domini ut authoris, & Moyse ut promulgatoris: qui eadem de causâ legislator vocatur à Clemente Romano, aliisque Patribus. Et Malach. 4. Deus sic loquitur: *Memento legis Moyse servi mei, quam mandavi ei in Horeb, ad omnem Israel, praecepta & judicia.*

34. Adverte autem, quod quando dicimus, legem Mosaicam esse verè divinam, & non hominum, sed Dei ipsius autoritate immediatè latam, loquimur de lege contenta libris Mosis, ab Exodo ad Deuteronomium inclusivè; neque enim negamus, alias quasdam observationes & leges fuisse postea humanà autoritate additas, de celebrando quot annis festo Phurim Esther 9. & de festo Scenopægiæ 2. Machab. 1. & similibus.

S. II.

Alia difficultas expeditur, & ubi, ac quomodo, lex Mosaicæ data fuerit, breviter declaratur.

35. Dico tertio, lex vetus data est in monte Sinai. Patet ex illo Levitici 26. *Hæc sunt judicia atque praecepta, & leges, quas dedit Dominus.* Tom. III.

A nus inter se & filios Israel in monte Sinai, per manum e Moyse. Nec obstat quod Deuteronom. cap. 1. 4. & 5. & lib. 4. Regum cap. 8. & Malach. 4. alibi que sapius dicitur, legem veterem fuisse datam in monte Horeb. Hanc enim distinctionem bene componit D. Hieronymus in locis Hebraicis, verbo *Horeb*, dicens eundem montem duplici nomine fuisse nuncupatum, & nunc Sinai, nunc Horeb appellatum. Addunt aliqui, verisimile esse, nomen Sinai fuisse nomen quasi appellativum illius montis, à vicino deserto, quod vocabatur solitudo Sinai: nomen autem Horeb, fuisse proprium, & præcipuum, magisque excellentiam partem illius significasse, à qua mons totus vocatus sit mons Horeb, & mons Dei.

B Dico quartò, lex vetus fuit à Deo tradita Moyse per Angelos, & ab eodem promulgata.

Patet ex Scriptura, nam S. Stephanus Act. 7. de Moyse sic ait: *Hic est qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum Patribus nostris, qui accepit verba vita dare nobis.* Et ad Galat. 3. Apostolus dicit: *Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, & ordinata per Angelos in manu mediatoris, Moyse scilicet, qui de seipso ait Deuter. 5. Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus.* Et ad Hebræos 2. *Si enim qui per Angelos dictus est sermo &c.* Ubi per sermonem illum intelligit legem Mosaicam, ut patet ex verbis sequentibus: comparat enim illam cum lege Evangelicæ, & significat hanc esse differentiam inter legem veterem & novam, quod vetus tanquam lex servitutis tradita fuerit per Angelos, qui Dei servi & ministri sunt; lex autem nova, quia lex est gratia, tradita sit per ipsum Dei filium.

Faventiam SS. Patres, præsertim Dionysius lib. de cœlesti Hierarchia cap. 4. ubi hæc scribit: *Hæc divinas visiones, Patres nostri perceperunt, per medias cœlestes virtutes. An non & sacram legislationem, eloquiorum traditio, velut per se quidem dicitur ex Deo Moyse donatam, ut etiam verè nos doceat, divinos eam esse & sacros characteres? Docet autem sapienter & hoc Theologia, per Angelos eum in nos provenire tanquam divino legali ordine, illud legaliter ponente, hoc est, per prima, secunda in divinum reduci.*

38. Non deest etiam ratio seu congruentia, quam assignat D. Thomas hic art. 3. Lex enim vetus erat imperfecta, & quasi dispositio quædam ad legem novam: Ergo conveniens fuit, ut nova daretur à Christo Domino, vetus autem à ministris. Sic enim fit in artibus ordinatis, ut supremus artifex per suos ministros disponat ea quæ necessaria sunt ad opus, ipse verò ultimam perfectionem adhibeat.

E Nec obest, quod ille qui loquebatur Moyse dicebat: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Egypti.* Hoc enim dicebat, non in persona propria, sed in persona Dei, quem representabat. Unde Gregorius magnus in præfatione libri Job cap. 2. *Angelus qui Moyse apparuisse scribitur, modo Angelus, modo Dominus memoratur: Angelus propter hoc quod exterius loquendo serviebat; Dominus autem dicitur, quia interiorius prædens loquendi efficaciam ministrabat. Cum ergo loquens, ab interiori regitur, & per obsequium Angelus, & per inspirationem Dominus ominatur.*

Michaëlem autem personam Dei tunc gessisse, cum lex lata est, multisque Angelorum millibus

stipatum, in montem Sinai venisse, Pantaleo Diaconus docet apud Surtium in encomio D. Michaelis: *Michael (inquit) Angelorum ductor longè maximus, & excellentissimus minister divina legis, qua data fuit in monte Sina &c.*

40. Plura verò mirabilia & terribilia in eo monte contigerunt, cum Decalogi lex per illum promulgata est. Nam totus mons ardebat igne. Totus fumabat, quia ex igne, tanquam ex fornace, ascendebat fumus. Nubes densissima montem operiebat. Audiebantur tonitrua, micabant fulgura, & clangor tubæ seu buccinæ perstrepebat. Tum demum Angelus, tubali & horribili voce, Decalogum proclamabat, ut posset exaudiri à toto populo circumstante, id est, à tribus hominum millionibus, qui tunc aderant in circuitu montis.

41. Porro qualis fuerit illa buccina disputant Interpretes. Judæi fabulantur fuisse cornu illius arietis, qui ab Abrahamo pro Isaac fuit immolatus, Genes. 22. Alij verò communiter æstimant, tubam illam fuisse æream, non corneam; & Angelum per collisionem aëris edidisse talem sonum, qualis ab inflata buccina, vel tuba prodire solet.

Sed quidquid sit de hoc, notandum est, duplicem fuisse sonum illius tubæ seu buccinæ. Unum confusum, quo populus Judaicus evocabatur ex remotioribus castrorum partibus, ut veniret ad radicem montis in circuitu, & ibi legem Decalogi paulo post promulgandam audiret. Alterum distinctum & articulatam, quo Angelus in ipso monte existens, & Dei personam gerens, populo ad radicem montis jam collecto, Decalogum promulgabat.

42. Notandum etiam cum D. Augustino Epist. 119. & Leone Papa serm. 1. de Pentecoste, promulgationem legis Moysi, figuram fuisse promulgationis legis Evangelicæ, & eorum quæ tunc facta sunt. Nam primò sicut lex Mosaica promulgata est die quinquagesimo post Pascha, id est in die Pentecostes, sic etiam lex Evangelica, ut constat Act. 2. Secundò, sicut illa in monte Sinai, ita ista in monte Sion promulgata est, juxta illud Isaïæ 2. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Tertio, sicut ibi audita sunt tonitrua & fulgura, ita hic factus est repente de caelo sonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis. Quarto, sicut ibi apparuit ignis & fumus; ita hic apparuerunt dispersa lingua tanquam ignis. Quinto, sicut ibi timore percussis sunt Judæi, ita hic Apostoli. Demum sicut ibi Angelus clangore buccinæ verba Decalogi perstrepebat, ita hic tuba Evangelica Apostolorum ore insonuit, ejusque sonus in omnem terrarum orbem exivit.

ARTICVLVS III.

Quotuplicia fuerint præcepta in lege veteri?

43. **T**riplicia fuerunt præcepta legis Mosaicæ, moralia, caeremonialia, & judicialia. Ita D. Thomas quæst. 99. Et colligitur ex illo Deuter. 5. *Loquar tibi omnia mandata mea, & caeremonias, atque judicia.* Et ex illo Pauli ad Romanos 7. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum.* Ubi Apostolus legem veterem vocat mandatum sanctum, propter caeremonialia; justum, propter judicialia; bonum, propter moralia, ut observat S. Doctor art. 4. quæstionis citatæ.

44. Ratio etiam suffragatur, finis enim lege Mo-

A saicæ erat dirigere populum Judaicum, & convenienter ordinare, tum in ijs quæ spectant ad rectitudinem naturalem rationis humanæ; tum etiam in ijs quæ ad cultum divinum, & ad justam politiam pertinent. Ad primum data erant præcepta moralia; ad secundum, caeremonialia; ad tertium, judicialia. Et per hæc tria simul sumpta homo convenienter ordinabatur circa seipsum, circa Deum, & circa proximum; ac per ea, si bene observarentur, Respublica Judæorum in felici & florenti statu conservanda erat, ut Deus illis promiserat Deuter. 28.

Præcepta moralia (ut notat S. Thomas hic quæst. 100. art. 11.) sunt in triplici differentia: nam quædam (inquit) sunt communissima, & adeò manifesta, quod sunt quasi fines præceptorum; unde in eis nullus potest errare secundum judicium rationis. Quædam verò sunt magis determinata, quorum rationem statim quilibet etiam popularis potest de facili videre; & tamen quia in paucioribus circa hujusmodi contingit judicium humanum perverti, hujusmodi editione indigent; & hæc sunt præcepta Decalogi: Quædam verò sunt, quorum ratio non est adeò cuilibet manifesta, sed solum sapientibus. Et ista sunt præcepta moralia superaddita Decalogo, tradita à Deo populo per Moysen & Aaron. Sed quia ea quæ sunt manifesta, sunt principia cognoscendi ea quæ non sunt manifesta, alia præcepta moralia superaddita Decalogo, reducuntur ad præcepta Decalogi per modum cujusdam additionis ad ipsa: nam in primo præcepto Decalogi prohibetur cultus alienorum Deorum; cui superadduntur alia præcepta prohibitiva eorum quæ ordinantur in cultum idolorum; sicut habetur Deuter. 18. *Non inveniat in te qui iustret filium suum, aut filiam suam, ducens per ignem, nec sit maleficus, neque incantator; nec Pythones consulat, neque Divinos, nec querat à mortuis veritatem.* Secundum autem præceptum prohibet perjurium: superadditur autem ei prohibitio blasphemie, Levit. 14. & prohibitio falsæ doctrinæ, Deuter. 13. Tertio verò præcepto superadduntur omnia caeremonialia. Quarto autem præcepto de honore parentum superadditur præceptum de honorificatione senum, secundum illud Levit. 19. *Coram cano capite consurge & honora personam senis;* & universim saliter omnia præcepta inducentia ad reverentiam exhibendam majoribus, vel ad beneficia exhibenda, vel æqualibus, vel minoribus. Quinto autem præcepto, quod est de prohibitione homicidij, additur prohibitio odij & cujuslibet mortificationis, contra proximum; sicut illud Levit. 19. *Non stabis contra sanguinem proximi tui;* & etiam prohibitio odij fratris, secundum illud, *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo.* Præcepto autem sexto, quod est de prohibitione adulterij, superadditur præceptum de prohibitione meretricij, secundum illud Deuter. 24. *Non erit meretrix de filiabus Israël, neque fornicator de filiis Israël, & iterum prohibitio vitii contra naturam, secundum illud Levit. 18. *Cum masculo non commisceberis, cum omni peccore non coibis.* Septimo autem de prohibitione furti adjungitur præceptum de prohibitione usurarum, secundum illud Deuter. 18. *Non feneraberis fratri tuo ad usuram;* & prohibitio fraudis, secundum illud Deuter. 25. *Non habebis in sacco diversa pondera;* & universali-*

45

C manifesta, sunt principia cognoscendi ea quæ non sunt manifesta, alia præcepta moralia superaddita Decalogo, reducuntur ad præcepta Decalogi per modum cujusdam additionis ad ipsa: nam in primo præcepto Decalogi prohibetur cultus alienorum Deorum; cui superadduntur alia præcepta prohibitiva eorum quæ ordinantur in cultum idolorum; sicut habetur Deuter. 18. *Non inveniat in te qui iustret filium suum, aut filiam suam, ducens per ignem, nec sit maleficus, neque incantator; nec Pythones consulat, neque Divinos, nec querat à mortuis veritatem.* Secundum autem præceptum prohibet perjurium: superadditur autem ei prohibitio blasphemie, Levit. 14. & prohibitio falsæ doctrinæ, Deuter. 13. Tertio verò præcepto superadduntur omnia caeremonialia. Quarto autem præcepto de honore parentum superadditur præceptum de honorificatione senum, secundum illud Levit. 19. *Coram cano capite consurge & honora personam senis;* & universim saliter omnia præcepta inducentia ad reverentiam exhibendam majoribus, vel ad beneficia exhibenda, vel æqualibus, vel minoribus. Quinto autem præcepto, quod est de prohibitione homicidij, additur prohibitio odij & cujuslibet mortificationis, contra proximum; sicut illud Levit. 19. *Non stabis contra sanguinem proximi tui;* & etiam prohibitio odij fratris, secundum illud, *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo.* Præcepto autem sexto, quod est de prohibitione adulterij, superadditur præceptum de prohibitione meretricij, secundum illud Deuter. 24. *Non erit meretrix de filiabus Israël, neque fornicator de filiis Israël, & iterum prohibitio vitii contra naturam, secundum illud Levit. 18. *Cum masculo non commisceberis, cum omni peccore non coibis.* Septimo autem de prohibitione furti adjungitur præceptum de prohibitione usurarum, secundum illud Deuter. 18. *Non feneraberis fratri tuo ad usuram;* & prohibitio fraudis, secundum illud Deuter. 25. *Non habebis in sacco diversa pondera;* & universali-*

D manifesta, sunt principia cognoscendi ea quæ non sunt manifesta, alia præcepta moralia superaddita Decalogo, reducuntur ad præcepta Decalogi per modum cujusdam additionis ad ipsa: nam in primo præcepto Decalogi prohibetur cultus alienorum Deorum; cui superadduntur alia præcepta prohibitiva eorum quæ ordinantur in cultum idolorum; sicut habetur Deuter. 18. *Non inveniat in te qui iustret filium suum, aut filiam suam, ducens per ignem, nec sit maleficus, neque incantator; nec Pythones consulat, neque Divinos, nec querat à mortuis veritatem.* Secundum autem præceptum prohibet perjurium: superadditur autem ei prohibitio blasphemie, Levit. 14. & prohibitio falsæ doctrinæ, Deuter. 13. Tertio verò præcepto superadduntur omnia caeremonialia. Quarto autem præcepto de honore parentum superadditur præceptum de honorificatione senum, secundum illud Levit. 19. *Coram cano capite consurge & honora personam senis;* & universim saliter omnia præcepta inducentia ad reverentiam exhibendam majoribus, vel ad beneficia exhibenda, vel æqualibus, vel minoribus. Quinto autem præcepto, quod est de prohibitione homicidij, additur prohibitio odij & cujuslibet mortificationis, contra proximum; sicut illud Levit. 19. *Non stabis contra sanguinem proximi tui;* & etiam prohibitio odij fratris, secundum illud, *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo.* Præcepto autem sexto, quod est de prohibitione adulterij, superadditur præceptum de prohibitione meretricij, secundum illud Deuter. 24. *Non erit meretrix de filiabus Israël, neque fornicator de filiis Israël, & iterum prohibitio vitii contra naturam, secundum illud Levit. 18. *Cum masculo non commisceberis, cum omni peccore non coibis.* Septimo autem de prohibitione furti adjungitur præceptum de prohibitione usurarum, secundum illud Deuter. 18. *Non feneraberis fratri tuo ad usuram;* & prohibitio fraudis, secundum illud Deuter. 25. *Non habebis in sacco diversa pondera;* & universali-*

E etiam prohibitio odij fratris, secundum illud, *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo.* Præcepto autem sexto, quod est de prohibitione adulterij, superadditur præceptum de prohibitione meretricij, secundum illud Deuter. 24. *Non erit meretrix de filiabus Israël, neque fornicator de filiis Israël, & iterum prohibitio vitii contra naturam, secundum illud Levit. 18. *Cum masculo non commisceberis, cum omni peccore non coibis.* Septimo autem de prohibitione furti adjungitur præceptum de prohibitione usurarum, secundum illud Deuter. 18. *Non feneraberis fratri tuo ad usuram;* & prohibitio fraudis, secundum illud Deuter. 25. *Non habebis in sacco diversa pondera;* & universali-*

»ter omnia, quæ ad prohibitionem calumniæ & rapinæ pertinent. O clavo verò præcepto, quod est de prohibitione falsi testimonii, additur prohibitio falsi iudicii, secundum illud Exodi 23. *Nec in iudicio, plurimorum acquiesce sententia, ut à veritate devies*; & prohibitio mendacii, sicut ibi subditur, *mendacium fugies*; & prohibitio detractionis, secundum illud Levit. 19. *Non eris criminator & susurro in populis*. Aliis autem documentis (puta præcepto de non concupiscenda uxore alterius ad coeundum, & præcepto de non concupiscenda re qualibet, vel qualicumque possessione alterius ad possidendum illegitimè præter consensum ejus & voluntatem) nulla alia adjunguntur; quia per ea universaliter omnia mala concupiscentia prohibetur. Hæc Sanctus Thomas, quibus differentiam præceptorum moralium veteris legis luculenter exponit.

46. Quoad præcepta verò ceremonialia, Genebrardus, sub finem Chronologiæ, ex Burgenfi, & alijs Doctoribus, asserit, ea in antiqua lege usque ad numerum sexcentorum tredecim ascendisse; ex quibus erant ducenta quadraginta octo affirmativa, tot scilicet quot sunt in homine membra & ossa, & trecenta sexaginta quinque negativa, quot in anno dies numerari solent. Omnia tamen ad quatuor genera revocari possunt. Alia enim erant de sacrificijs, quorum tria erant genera in antiqua lege, nempe holocaustum, hostia pacifica, & hostia pro peccato, quorum differentiam explicabimus in Tractatu de virtutibus cardinalibus disp. 3. art. 1. ubi de religione agemus. Alia de Sacramentis, quæ varia extiterunt in antiqua lege, tam pro laicis, quam pro sacerdotibus & ministris templi; ut circumcisio, Agnus Paschalis, consecratio Sacerdotum, elus panis propositionum, ablutio manuum & pedum, rasio pilorum, & similia, de quibus agit S. Thomas hic quæst. 102. art. 5. Item in veteri lege quædam erant præcepta ceremonialia de rebus sacris, quæ ad divinum cultum tanquam instrumenta & adminicula ordinabantur, inter quas istæ erant præcipuæ, Tabernaculum, Arca fœderis, continens duas legis tabulas, virgam Aarons, quæ fronderat, & urnam auream cum manna; propitiatorium, quod erat ad instar cuiusdam mensæ ex auro purissimo, mensa panum propositionis; altare thymiamatis seu incensii, in quo incendebatur thus, & alia aromata suavissimi odoris, altare holocausti, in quo omnes victimæ offerebantur; & demum varia vasorum genera, nempe acetabula, phialæ, thuribula, cyathi, lebetes, hydræ, mortariola, lucerna &c. de quibus accuratè differunt Josephus lib. 3. antiquitatum, & Ribera lib. 3. de Templo Salomonis. Denique in veteri lege aliqua erant præcepta ceremonialia de aliquibus observantijs legalibus, quibus ex decreto Dei populus Judæorum discernebatur ab alijs gentibus, inter quæ præcipuæ erant, abstinentiæ à suffocato, sanguine, pinguedine, carne suilla; ab animalibus, quæ non haberent unguam divisam, sed solidam & unitam, quæque etiam non ruminarent; manducatio panum azymorum, lactucarum agrestium, & aliorum id genus, quorum significationem fusè ac eruditè explicat S. Thomas quæst. 102. art. 6. Eiusdem generis hæc erant: *Non coques hœdum in lacte matris suæ. Non arabis in bove & asino. Veste quæ ex duobus texta est non indueris. Non indueris vestimento, quod ex lana, linoque con-*

A *textum est. Qui tetigerit mortuum, immundus erit usque ad vesperam.*

De præceptis judicialibus abundè differit S. Thomas quæst. 104. & 105. ubi ea ad quatuor capita revocat. Nam quædam præscribunt certum ordinem justitiæ inter Principem & populum, quædam inter ipsos cives; quædam inter populum & extraneos; quædam denique inter domesticos ejusdem familiæ. Exempla passim sunt in Scriptura: v. g. pro Principe dantur præcepta quomodo creandus sit, quomodo se gerere debeat erga populum, & vicissim populus erga illum. Similiter pro populo & civibus inter se dantur præcepta emptionis & venditionis, & aliorum contractuum. Pro extraneis dantur præcepta de susceptione advenarum & peregrinorum, & de modo belli gerendi contra hostes. Denique pro domesticis leges sunt de viro & uxore, de parentibus & libetis, de dominis & servis, de consanguineis & affinis, an sint inter eos ineunda matrimonia, & cætera alia.

Differunt autem hæc præcepta à moralibus, quod moralia ad legem naturæ proximè pertinent; judicialia verò valde remotè, cum tantum sint determinationes eorum quæ generaliter in jure naturali continentur: v. g. jure naturali fures puniendi sunt, jure autem illo judiciali pœna mortis eis infligitur. A ceremonialibus verò tripliciter differunt. Primò, quia ceremonialia pertinebant ad cultum divinum, judicialia ad justitiam cum proximo servandam. Secundò, quia ceremonialia per se primò instituta erant ad Christum & mysteria Christianæ religionis significanda & figuranda, non autem judicialia. Ex quo sequitur tertium discrimen, nempe quod ceremonialia omnia desierint, imò & mortifera sint; judicialia verò aliqua adhuc remaneant, non quidem quatenus à veteri lege sunt præscripta, sed solum quatenus sunt à Regibus & Legislatoribus in utilitatem publicam assumpta; alia verò mortua quidem sint, non tamen mortifera, cum absque peccato observari possint, ut ex dicendis articulo sequenti patebit.

ARTICVLVS IV.

An, & quando lex vetus abrogata sit?

§. I.

Prima pars quæstionis resolvitur?

Dico primò, lex vetus de facto abrogata est, & desit obligare. 49.

Conclusio est certa de fide, & definita ab Apostolis in Concilio Hierosolymitano super hac quæstione habito, eamque passim docet Paulus in suis Epistolis, præsertim ad Roman. 6. versu 15. ad Galat. 3. versu 19. ad Ephes. 2. versu 14. & ad Coloss. 2. versu 16.

Confirmatur ex illo ad Hebræos 7. *Translatio Sacerdotio necesse est ut legis translatio fiat*: Atqui Sacerdotium veteris legis translatum est in sacerdotium novæ legis, ut totâ Epistolâ ad Hebræos contendit Apostolus: Ergo & ipsa lex translata est in novam, sicque tandem abrogata, de facto desit obligare. 50.

Si autem quæras, cur abrogata fuerit? Respondeo primò, illam abrogatam esse, propterea quod vetus testamentum imperfectum esset & infir-

51. mum. Unde Apostolus ad Hebræos 7. *Reprobatio* (inquit) *fit precedentis mandati, propter infirmitatem & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex:* Secundo, quia grave jugum erat. Quam abrogationis rationem indicavit D. Petrus Act. 15. cum dixit: *Quid tenuis Deum, imponere jugum super cervicibus Discipulorum, quod nec patres nostri, nec nos portare potuimus?* Tertio, quia continebat tantum figuras, quæ per Christum impletæ sunt. Unde Bernardus homil. 1. super Missus est: *Prodeunte fructu, flos decidit, quia veritate apparente in carne, figura pertransit.* Vel ut ait Hieronymus in capit. 4. ad Galatas: *Priusquam Christi in toto orbe Evangelium coruscaret, habuerunt suum fulgorem præcepta legalia: postquam verò majus Evangelica gratia lumen effulsit, & Sol justitiæ toti mundo se prodidit, stellarum lumen absconditum est, & earum radii caligaverunt.* Similia habet Theodoretus ad Philippens. 3. ubi hæc scribit. *Supervacaneus est lychnus, si Sol apparuerit, supervacaneus pedagagus iis qui perfectam acceperunt sapientiam; inutile lac nutriticis iis qui solido cibo vescuntur. Palea fert frumentum, sed postquam collectum est frumentum, palea ejicitur; ita lex Christum ostendit, postquam autem is apparuit, ea est deinceps supervacanea:* Demum Christus (teste Apostolo ad Ephesios 2.) *fecit utraque unum, id est ex duobus populis, Ethnico & Judaico, fecit unum ovile, ac proinde debuit dissolvere medium parietem legis Mosaicæ, qui separabat unum populum ab alio, & ambos una eademque lege Evangelica concludere.*

52. Dices, legem Mosaicam in sacris litteris prædicari in æternum duraturam: Baruch 3. *Hic liber mandatorum Dei, & lex quæ est in æternum.*

Respondeo cum D. Thoma hic quest. 103. art. 3. ad 1. legem veterem duobus modis dici posse æternam: primo quoad præcepta moralia, quæ partim in Decalogo, partim verò in aliis Scripturæ locis continentur; hæc enim semper vigent & vigeant, cum sint juris naturalis; secundo etiam quoad ceremonialia, quandoquidem licet hæc abrogata sint, quoad significationem, durant tamen adhuc & durabunt, quoad rem significatam, nempe Christum & religionem Christianam. Ad quod quod, lex vetus ejusque præcepta, vocantur æterna, quia ad tempus valde longum fuere statuta, & sine certo termino in ipsa legis promulgatione definito: Statuta enim & præcepta, quæ ita feruntur, solent vocari perpetua, in communi usu loquendi; eodem sensu, quo leges omnes dicuntur esse perpetuæ.

§. II.

Altera difficultas expeditur, & quando nam lex vetus abrogata fuerit, breviter declaratur.

53. **D**ico secundo, legem Mosaicam non cessasse ante Christi mortem. Ita communiter docent Theologi, paucis exceptis, qui volunt legem Mosaicam cessasse ante mortem Christi in ipsa institutione Baptismi, per quam cessavit obligatio Circumcisionis, & consequenter totius legis Mosaicæ, cujus obligatio in illa fundabatur, & ab illa oriebatur, ut significat Paulus ad Galat. 3.

54. **P**robatur conclusio multipliciter: Primò quia lex Mosaicæ umbratilis erat & figurativa, subindeque non cessavit, donec ejus umbræ & figuræ

A impletæ fuerint. At illæ non fuere impletæ usque ad mortem & passionem Christi, & antequam Christus jam expiraturus diceret, *Consummatum est:* Ergo lex Mosaicæ non cessavit ante Christi mortem & passionem.

55. **S**ecundo, Christus usque ad mortem legem servavit & servari præcepit; nam Matth. 8. leproso sanato præcepit adire sacerdotem, ut secundum legem munus offerret quod Moyses mandaverat. Et Matth. 23. dixit: *Super Capite-dram Moysi sederunt Scribae & Pharisei; omnia ergo quaecunque dixerint vobis servate & facite.* Item pridem quam pateretur, cum Discipulis agnum paschalem immolavit: Ergo ante ejus mortem lex Mosaicæ non cessaverat, sed adhuc obligabat. Unde Lucæ 22. dicitur: *Veni dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha, &c.* id est necessitate præcepti, quod Christus antequam moreretur, adimplere voluit.

56. **T**ertio, sicut translatio sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat, ut ait Apostolus ad Hebræos 7. ita manente sacerdotio legem manere necesse est: Sed sacerdotium legis Mosaicæ non fuit translatum usque ad passionem & mortem Christi; Apostolus enim ad Hebræos 9. affirmat prius tabernaculum habuisse statum, donec per Christi mortem propalaretur sanctorum vitæ: quando autem tabernaculum illud Mosaicum habuit statum, habuit & sacerdotium: Ergo lex Mosaicæ ante Christi mortem & passionem non fuit abrogata.

57. **Q**uarto, testamentum vetus, quod est idem atque lex, non cessavit nisi per novum: Sed hoc non cepit obligare nisi per mortem Christi, eò quod testamentum non valeat, nisi intercedat mors testatoris, ut ait Paulus ad Hebræos 9. & probat Ulpianus l. 1. ff. de testamentis: Ergo testamentum non cessavit usque ad mortem Christi.

58. **D**ices primò, Lucæ 16. dicitur: *Lex & Prophetæ usque ad Joannem.* Et Matth. 11. *Omnes Prophetæ & lex usque ad Joannem prophetaverunt:* Ergo lex vetus cessavit, quando Joannes Baptista prædicare cepit.

59. **S**ed nego consequentiam, sensus enim horum verborum est, quod lex & Prophetæ, usque ad Joannem, prædixerint Christum esse venturum; ille autem jam venisse ostenderit. Vel quod lex & Prophetæ, usque ad Joannem, promissiones temporales prædicaverint; exinde verò cepit evangelizari regnum Dei, consistens in bonis spiritualibus: Hoc enim Christus dixit respondens Phariseis ipsum irridentibus, quòd nimium affectum erga divitias reprehenderet, earumque contemptum doceret; quasi in hoc dissentiret à lege & Prophetis promittentibus bona temporalia.

Dices secundo, Baptismus qui est primum novæ legis sacramentum, fuit à Christo institutus ante mortem: Ergo præceptum Baptismi cepit obligare ante mortem Christi, subindeque præceptum circumcisionis obligare desit ante passionem Christi.

Respondeo, concessio Antecedente, negando consequentiam; quamvis enim Baptismus fuerit à Christo institutus ante mortem, non fuit tamen in præcepto nisi post passionem & resurrectionem Christi, ut docet D. Thomas 3. p. qu. 66. art. 2. his verbis: *Necessitas utendi hoc sacramento indicta fuit homini post passionem & resurrectionem; tum quia in passione Christi terminata sunt figuralia*

figuralia sacramenta, quibus succedit Baptismus, & alia sacramenta nove legis, tum etiam quia per Baptismum configuratur homo passioni & resurrectioni Christi, & in quantum moritur peccato, incipit novam justitiam vitam; & ideo oportuit Christum prius pati & resurgere, quam hominibus indiceretur necessitas se configurandi morti & resurrectioni Christi. Unde licet in ritu Baptismo, ante Christi mortem & resurrectionem, non fuerit circumcisio necessaria necessitate mediæ, cum ad delendum peccatum originale illa non esset unicum medium, sed ad hoc sufficeret Baptismus; erat tamen necessaria necessitate præcepti, nam ita erat legi antiquæ inserta, ut signum esset fidei qui legem illam profitebantur, illoque proinde uti, dum lex illa peristeret, necessarium fuit ex Dei præcepto.

60. Dico tertio, legem Mosaicam cessasse in ipsa Christi morte & resurrectione. Est contra Scotum, Gabrielem, Suarezem, & alios, existimantes legalia non fuisse omnino & completè extincta, nisi in ipso die Pentecostes, in quo facta fuit solennis promulgatio legis Evangelicæ. Est tamen D. Thomæ hic quest. 10, art. 3, ad 2. ubi hæc scribit: *Mysterium redemptionis humani generis completum fuit in passione Christi, unde tunc Dominus dixit, Consummatum est, ut habetur Joan. 19. & ideo tunc totaliter debuerunt cessare legalia, quasi jam veritate eorum consummata; in cuius signum in passione Christi, velum templi legitur esse scissum Matth. 27. & ideo ante passionem Christi, Christo predicante & miracula faciente, currebant simul lex & Evangelium; quia jam mysterium Christi erat inchoatum, sed nondum consummatum; & propter hoc mandavit Christus Dominus ante passionem leproso, ut legales ceremonias observaret.*

61. Idem docent SS. Patres: Augustinus enim serm. 114. de tempore sic ait: *Velum templi scinditur, quia synagoga honore nudatur, observatio antiqua dissolvitur.* Ambrosius lib. 10. in Lucam cap. 23. *Etiã velum templi scinditur, quo mysterium synagoga prophanatio declaretur.* Cæsarius homil. 6. in Paschate, sub finem: *Velum templi scinditur. Velum ornamentum tabernaculi est: Coruscante igitur gratiâ, Ecclesia edificatur. Synagoga destruitur.* Demum Leo Papa serm. 6. de passione, Caipham vestes proprias scindentem, quasi Christus blasphemasset, lepidè irridet, dicens, Pontificem legis mox interituræ, per hanc vestium suarum scissuram, ostendisse se mox sui sacerdotii honore spoliandum.

62. Confirmatur ex communi consensu Hieronymi & Augustini in Epistolis quas sibi mutuò de legalibus scripsere, quibus docent, post mortem & resurrectionem Christi, legales ceremonias mortuas fuisse, id est vim obligandi amisisse, quamvis Hieronymus existimaverit, illas post mortem & resurrectionem Christi, nedum mortuas, sed etiam mortiferas fuisse, adeò ut quicumque eas servasset (secusâ ignorantia aut errore invincibili) peccasset: Ergo immeritò & sine sufficienti fundamento, Scotus & Suarez, ab illis dissentiunt.

63. Potest insuper conclusio quatuor rationibus suaderi. Prima est: Cum lex Mosaicâ umbratilis & figurativa fuerit, debuit adveniente veritate quam figurabant, cessare: Sed per Christi mortem & resurrectionem impletæ fuerunt omnes figuræ antiquæ legis, ut Christus jam mortuus significavit, cum dixit, *Consummatum est*: Ergo in morte & resurrectione Christi lex Mosaicâ cellavit, & penitus fuit abrogata. Unde Leo Pa-

Tom. III.

A pa serm. 7. de passione: *Ut umbra cederent corpori, antiqua observantia novo excluditur sacramento; hostia in hostiam transte, sanguine sanguis aufertur, & legalis festivitas, dum mutatur, impletur.*

64. Secunda: Christus in cæna ultima novum condidit testamentum, quod morte deinde & resurrectione suâ confirmavit: Ergo vetus quasi senio jam confectum, accedente tunc novo, extinctum est. Consequentia patet, valor enim testamenti posterioris, revocat vim prioris, quotiescumque posterius conditur ad revocandum prius, ut patet in humanis: Atqui novum testamentum conditum est, ut prius revocaretur, ut fatentur omnes, & docet Apostolus ad Hebræos 10. his verbis: *Auferi primum, ut sequens statuat.* Et cap. 8. *Dicendo novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.* Ergo &c.

65. Tertia ratio: Ad Romanos 7. ex eo quod sumus liberati à peccato, infert Paulus quod sumus pariter & à iugo legis exempti: Sed in morte & resurrectione Christi sumus à peccato liberati: Ergo & à lege veteri. Unde idem Apostolus ibidem ait, quod sicut mulier in morte viri libera fit à lege matrimonij, ita synagoga in morte Christi, à legis obligatione liberata est.

66. Quarta ratio sumitur ex illo Apostoli ad Hebræos 7. *Translatio sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat:* Ergo cessante sacerdotio veteris legis, ipsam quoque legem veterem cessasse necesse est; quandoquidem juxta Paulum & rei veritatem, erat connexio & concomitantia necessaria inter legem & sacerdotium: Atqui sacerdotium veteris legis, in ipsa Christi morte & resurrectione cessavit; tunc enim sacerdotium Aaronicum totaliter fuit evacuatum, & in sacerdotium Christi translaturum, ut colligitur ex illo Apostoli ad Hebræos 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est non hujus creationis, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeternâ redemptione inventa:* Ergo lex vetus in ipsa Christi morte & resurrectione cessavit, & penitus abrogata est, etiam quoad præcepta moralia, nam quamvis hæc etiam nunc retineant vim obligandi, non tamen quatenus præcepta legis Mosaicæ sunt, sed quatenus sunt præcepta legis naturalis quorum obligatio perpetua est.

67. Dixi autem, *in ipsa Christi morte & resurrectione*, tum quia cum lex vetus non solum passionis & mortis Christi, sed etiam eius resurrectionis figura & umbra extiterit, ante resurrectionem Christi nondum fuit perfectè completa, nec proinde totaliter extincta. Tum etiam, quia sacerdotium Aaron, quod erat proprium legis veteris, non debuit aboleri, donec sacerdotium Christi esset consummatum, & in perfectione atque indefectibilitate constitutum, quod non habuit usque ad eius resurrectionem, in qua ipse Christus vitam immortalem & indefectibilem reassumpsit; unde tunc solum adimpleta fuit hæc prophetia Davidis: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Adde quod obligatio Baptismi, qui est totius legis Evangelicæ fundamentum, cæpit solum post resurrectionem Christi, cum ipsa die resurrectionis, Christus ejus præceptum proposuisset, dicendo Apostolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Ergo tunc solum & non antea cessavit lex vetus.

68. Contra istam conclusionem objiciunt Adversarii: Lex Mosaicâ non prius desit, quam Evan-

D d d

gelica cœperit obligare, cum generatio istius, sit corruptio illius, juxta illud Apostoli ad Ephes. 2. *Legem mandatorum decretis evacuans*, id est legem Mosaicam decretis Evangelicis excludens, ut exponunt Chrysostomus, Theophilactus, & Oecumenius ibidem: Atqui lex Evangelica non cœpit obligare ante diem Pentecostes: Ergo ante illum diem lex Mosaicæ obligare non desuit. Majorem ut certam supponunt, Minorem verò sic probant. Lex ante sui promulgationem non obligat, ut docet S. Thomas supra quæst. 90. art. 4. Sed lex Evangelica non fuit promulgata ante Pentecosten: Ergo ante diem Pentecostes obligare non cœpit. Minor probatur, tum quia usque ad tempus Pentecostes Apostoli non proposuerunt populo publicè Evangelium; tum etiam, quia quemadmodum lex vetus non fuit promulgata, nisi quinquagesimo die à Paschate Judæorum; ita non debuit lex nova promulgari, nisi post quinquaginta dies à Paschate sive resurrectione Christi; promulgationem enim legis Mosaicæ, figuram fuisse promulgationis legis Evangelicæ, supra art. 2. in fine ostensum est.

69. Huic argumento quod est præcipuum Adversariorum fundamentum, respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, & ad illius probationem dico, duplicem esse legis promulgationem; unam essentialem, & legi sufficientem, quæ fit quando princeps ut publica persona illam proponit & intimat suis subditis in curia existentibus; altera solemnis & accidentalis, atque ad tollendam subditorum ignorantiam ordinata; quæ fit cum lex à præcone per singulas provincias, aut per omnes præcipuas civitates publicatur. Quamvis ergo lex Evangelica hoc secundo genere promulgationis, solum in die Pentecostes promulgata fuerit ab Apostolis ut Christi præconibus; ipso tamen die resurrectionis fuit à Christo proposta & intimata Discipulis, his verbis: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos &c.* Unde à die resurrectionis cœpit habere vim legis ex se obligantis, quamvis hæc promulgatio non sufficeret ad tollendam ignorantiam illius, nec proinde ad reddendum homines inexcusabiles ab ejus transgressione. Ex quo patet ad primam potentiam Minoris. Ad secundam verò similiter dico, legem Mosaicam promulgatione sufficienti ad rationem legis fuisse promulgatam ab eo tempore quo Deus eam dedit Moyse in monte Sina, tunc enim locutus est Deus ut Princeps & Legislator, subindeque ex eo tempore præcepta illius legis lata à Deo vim legis habuerunt; adeo ut ipsius publicatio facta deinde à Moyse toti populo, non habuerit vim promulgationis necessariæ ad essentialiam legis, sed tantum declarationis, ne homines ignorantia ab ejus obligatione excusari possent. Quare licet publicatio illa veteris legis facta per Moysen, fuerit figura promulgationis legis Evangelicæ faciendæ per Apostolos in die Pentecostes, hinc tamen non fit, istam fuisse necessariam, ad rationem & essentialiam legis Evangelicæ, sed tantum ad tollendam ignorantiam ipsius.

Ad solutionem alterius argumenti, quod contra nostram conclusionem fieri posset, Advertendum est, quod licet à passione & resurrectione Christi, usque ad Evangelij divulgationem, lex antiqua mortua fuerit, ita ut nec obligaret, nec vim obligandi haberet, non tamen penitus erat inutilis, sicut est modò, sed quandiu permansit ejus bonitas, & non fuit mor-

A tiferæ, pueri Judæorum recipientes circumcissionem; à peccato originali justificabantur; illique qui bona fide legem illam observabant, salvabantur; divinam namque bonitatem decebat, ut quandiu sustinuit legem illam, non auferret ejus utilitatem, ut prodesset illis, qui bonâ fide illam observabant; unde pro illis valebat dispensatio & permissio per legem data, repudiandi uxorem legitimam, & ducendi aliam, vel habendi plures simul.

ARTICVLVS V.

Virum lex Mosaicæ statim atque cessavit obligare, fuerit mortifera?

B **P**artem affirmantem tenuit olim D. Hieronymus, ut constat ex Epistola ejus ad Augustinum, quæ inter Epistolas ipsius Augustini connumeratur undecima; distinxit enim solum duo tempora, unum ante passionem Christi, in quo legalia non erant mortua, quasi non habentia vim obligatoriam, aut expiatiuam, pro suo modo; nec etiam mortifera, quia non peccabant ea observantes; alterum post passionem Christi, in quo non solum mortua (id est non habentia virtutem & obligationem) sed etiam mortifera fuerunt, ita scilicet quod peccarent mortaliter quicumque ea observarent. Oppositum docuit Augustinus Epist. 9. & 19. ad Hieronymum, ubi distinxit tria tempora. Unum ante Christi passionem, in quo legalia neque erant mortifera, neque mortua. Aliud post tempus Evangelij divulgati, in quo legalia sunt mortua & mortifera. Tertium autem est tempus medium, scilicet à passione Christi, usque ad divulgationem Evangelij, in quo legalia quidem fuerunt mortua, quia neque vim aliquam habebant, neque aliquis ea observare tenebatur; non tamen fuerunt mortifera, quia illi qui ex Judæis conversi erant ad Christum, poterant illa licitè observare, dummodo non sic ponerent spem in eis, quod ea reputarent necessaria ad salutem, quasi sine legalibus fides Christi justificare non posset. Augustinum secutus est D. Thomas hic quæst. 103. art. 4. ad 1. alique Theologi communiter, cum quibus

D **D**ico, legem Mosaicam non fuisse mortiferam statim atque cessare cœpit illius obligatio, sed aliquo tempore post illius abrogationem, fuisse licitum servare illius præcepta ceremonialia, quamvis non esset necessarium.

Probatur efficaciter, quia ipsismet Apostoli usurparunt ceremonialia ijs in locis ubi jam lex Mosaicæ desierat obligare, factâ jam sufficienti promulgatione legis Evangelicæ: ut patet ex Actuum 16. ubi Paulus Timotheum ex patre Gentili natum circumcidit; & cap. 18. ubi more Nazæorum totondit caput in Cenchris; & cap. 21. ubi de consilio Jacobi Apostoli, & seniorum, usus est legali purificatione cum Judæis, ut illos sibi conciliaret, & purificationem cum illis templum ingressus est. Demum cap. 15. ejusdem libri, in Concilio Apostolorum statutum fuit, ut Christiani abstinerent à sanguine, & à suffocato, quæ una erat ex ceremonijs legalibus.

E **R**esponder D. Hieronymus Epistola citatâ, nunquam Apostolos post resurrectionem Christi legalia observasse secundum veritatem; sed solum ex quadam pia simulatione, ne scandalizarent Judæos, & eorum conversionem impedirent. Verum si ceremoniæ illæ tunc fuissent mortifera, ut sentit Hieronymus, non potuissent licitè usurpari simulatoriè ab Apostolis; quia con-

ra fidei professionem est, uti cultu superstitioso & profiteri exterius falsam religionem; cuiusmodi erat religio Iudæorum quoad cultus illos, si jam erant superstitiosi & mortiferi. Item si licuisset Apostolis uti simulatore cultu superstitioso Iudæorum, ut eos lucrarentur, quemadmodum ait Hieronymus, licuisset similiter uti simulatore cultu superstitioso Gentilium, ut facilius converterent; & nunc etiam liceret uti caeremonijs Judaicis, simulareque eorum fidem, ut eos lucrifaceremus, sicut contra Hieronymum rectè argumentatur S. Augustinus Epistolis citatis. Addit S. Thomas loco supra citato, *indecens videri quod Apostoli ea occultarent propter scandalum, quæ pertinent ad veritatem viæ & doctrinæ, & quod simulatione uterentur in his quæ pertinent ad salutem fidelium.*

73. Potest insuper suaderi conclusio optimâ congruentiâ, quâ utitur D. Augustinus ad probandum post abrogationem legis Mosaicæ, per aliquod tempus fuisse licitum legalia servare, usque ad sufficientem divulgationem Evangelii, quamvis non esset necessarium. Sicut enim (inquit) solemus homines mortuos aliquandiu ante sepulturam servare, ut cum honore sepulturæ tradantur: ita decuit legalia, quæ ut viva post Christi mortem servari non poterant, ut mortua usque ad perfectam Evangelii divulgationem servari, ut cum honore mortua mater synagoga sepeliretur; & ne homines existimarent, si ea statim rejecta fuissent, veterem legem fuisse abominabilem, perinde ac Gentilium cultum, quem nullâ unquam morâ sustinere Apostoli voluerunt.

74. Dices, si licitum erat post abrogationem legis Mosaicæ per aliquod tempus legalia servare, non potuit rationabiliter Paulus ad Galatas 2. reprehendere Petrum Apostolum, eò quod illa usurparet, seque à gentilibus Antiochenis recens conversis segregaret, ut viveret Judaicè cum Judæis, qui Ierosolymis à Jacobo advenrant: Atqui Paulus jure reprehendit Petrum, qui ut dicitur ad Galat. 2. reprehensibilis erat: Ergo post abrogationem legis Mosaicæ, non licitum fuit servare legalia.

Respondeo, negando sequelam Majoris, Petrus enim jure fuit reprehensus à Paulo, non quod simpliciter uteretur caeremonijs Judaicis, post abrogationem legis Mosaicæ (quod ipsemet Paulus sapius fecerat, ut supra ostendimus) sed quod uteretur cum aliqua imprudentia & scandalo infirmorum, adeò ut Christiani ex ejus facto inducerentur ad existimandum observationem legalium esse adhuc necessariam, & ita quodammodo cogentur judaizare, ut significant verba illa Pauli ad Petrum ad Galat. cap. 2. *Si tu Judæus cum sis, gentiliter vivis, & non Judaicè, quomodo cogis gentes judaizare?* Solutio est D. Thomæ hic quæst. 103, art. 4. ad 2. ubi hæc scribit. *Non peccavit Petrus in hoc, quod ad tempus legalia observabat, quia hoc sibi licebat tanquam ex Iudæis converso; sed peccabat in hoc, quod circa legalium observantiam nimiam diligentiam adhibebat, ne scandalizaret Iudæos, ita quod ex hoc sequeretur Gentilium scandalum.*

75. Quæres, quo præcisè tempore cœperit lex Mosaicæ esse mortifera?

Respondeo hoc esse dubium & incertum, valde tamen probabile esse quod plerique Theologi docent, illam solum cœpisse esse mortiferam quadragesimo circiter post Christi mortem anno, postquam Evangelium sufficienter jam toto orbe

Tom. III.

A Judæis promulgatum fuit per Apostolos, templumque Ierosolymitanum, una cum statu Republicæ Judaicæ a Romanis Imperatoribus eversum; tunc enim non erat amplius necessarium deferre honorem Synagogæ jam extinctæ, aut uti condescensu erga Judæos, tandiu Dei vocationi rebelles.

DISPUTATIO XII.

De lege Divina nova.

B Ad quæst. 106. D. Thomæ, & duas sequentes.

H AËtenus de lege veteri, quam Deus olim Angelorum ministerio dedit Moyfi, in monte Sina, totique populo Judaico; nunc de lege, quam Christus tulit, & Ecclesiæ suæ tradidit, ac per gratiam Spiritus Sancti fidelium cordibus indidit, quæ variis solet nominibus nuncupari. In primis enim lex nova seu novum Testamentum appellatur, eò quod sicut vere exorto, tota facies terræ renovatur, juxta illud Poëtæ Ecloga 3.

Nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbor.

Nunc frondet sylva, nunc formosissimus annus.

C Ita adveniente lege gratiæ, omnia penitus innovata sunt, secundum illud Apostoli ad Corinth. 5. *Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova.* Unde ibi Chrysostomus: *Rerum, inquit, vices jam mutatae sunt, ut & anima nova, & corpus novum, & novum adorationis genus, & pollicitationes novæ, & testamentum, & vita, & mensa, & vestis, & uno verbo dicam, omnia nova sunt.* Et Nicetas in Commentario Orationis de eucæniis D. Gregorii Nazianzeni: *Est, ait, canticum novum allegoricè, novi Testamenti canticum; tunc enim nova omnia facta sunt, & creatura nova, & novus homo, & vita nova, & nova mandata, & nova gratia, & nova pollicitationes.* Similiter

D Teophilactus 2. ad Corinth. 5. *Vetus peccatum transiit, novaque nobis anima, & novum corpus factum est, & pro Iudæis omnibus, nova nobis facta sunt omnia.* Demum Gregorius magnus homil. 32. in Evang. *Novus homo venit in mundum, nova præcepta dedit mundo, & vita nostra veteri, contrarietatem opposuit novitatis suæ.*

Secundò, lex Evangelica appellatur, quia, ut ait Author operis imperfecti in Matth. *Evangelium est bonum nuncium: Bona autem hominibus nunciantur, quando promittitur eis beatitudo cælestis, peccatorum remissio, adoptio filiorum, mortuorum resurrectio, immortalis vita, hæreditas regni cælestis, possessio gloriæ sempiternæ, societas Angelorum, & communicatio Spiritus, & fraternitas Christi, & paternitas Dei.*

Dicitur tertio, lex gratiæ, quia vi suâ, & ratione sui status, dat gratiam sanctificantem & auxilia gratiæ. Unde Apostolus ad Romanos 1. *Non enim erubescio Evangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti.* In quem locum hæc scribit Anselmus: *Virtus, quia gratiam præstat, percujus auxilium valeamus facere quod præcipit.* Eademque de causa vocatur etiam lex Spiritus vitæ, & lex libertatis, quia liberat à lege & servitute peccati. Vel etiam quia liberat ab onere legis Mosaicæ.

Quarto, vocatur lex fidei, propter majorem expressionem, & determinationem articulorum

Dddd ij

fidei Trinitatis, Incarnationis &c. Et lex gratiæ, propter efficaciam sacramentorum, ut ait S. Thomas quodlibeto 4. art. 13.

5. Demum lex amoris seu charitatis appellatur, quia, ut bellè quidam ait, amor charitatis est veluti lex falica Christianismi. Vel quia, ut dicit Augustinus, lib. adversus Adimantum cap. 17. *Hac est brevissima & aperitissima differentia duorum testamentorum, timor & amor.* Adde quod, lex vetus cum terrore, nova promulgata est cum amore; cœpit enim promulgari à Petro, ipso die Pentecostes, quo Spiritus Sanctus, cujus peculiare nomen est amor, Apostolis sese infudit, & in eorum cordibus Spiritum charitatis effudit, juxta illud Apostoli ad Romanos 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ad quod respiciens Bernardus Epist. 107. admirabundus exclamat: *O geminum, ipsumque firmissimum, erga nos amoris argumentum; Christus moritur: mereatur ergo amari. Spiritus afficit, & facit amari. Ille facit cur ametur, iste ut ametur. Ille multam dilectionem nobis commendat, iste dat. In illo cernimus quod amemus, ab isto sumimus unde amemus. Charitatis ergo ab illo occasio, ex isto affectio.*

ARTICVLVS I.

Utrum lex nova à Christo instituta sit, & quibus præceptis ea constet?

6. Calvinus in cap. 4. Epistolæ ad Galat. asserit Christum nullam legem novam tulisse, sed solum à lege antiqua nos liberasse: *O miserabilem, inquit, justitiam! O perniciosum errorem prædicantium Christum tanquam novum legislatorem. Quasi veterem legem abrogaverit, ut novam Christianis omnibus legem imponeret. Non fuit id Christi officium, sicut ipse dixit. Non misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsam. Et alio loco: Ego, inquit, non judico quemquam. Non habuit profecto Christus id operis ac muneris, ut novam institueret legem, sed ut ab hominum cervicibus servile illud legis jugum auferret. Hoc illud est quod Paulus clamat, Deum misisse filium suum factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret. Nostri verò novitii Theologi, divino adversantes consilio, pro liberatore legislatorem, qui nos in durissimam tradat servitutem, suscipiendum docent. Ut hic error explodatur, & vera atque Catholica sententia declaretur,*

7. Dico, Christus instituit novam legem ad Christianos pertinentem. Probatur primò ex Scriptura, nam in veteri testamento promittitur Messias venturus ut legislator, & novam legem laturus: Jeremiæ 31. *Eccce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israël, & domui Juda fœdus novum, &c. Dabo legem meam in visceribus eorum.* Quæ verba de Christo, ejusque fœdere & lege dicta esse interpretatur Apostolus ad Hebræos 8. & 10. Item Isaiæ 2. sic dicitur: *Et erit in novissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exhibit lex, & verbum Domini de Jerusalem. Quæ de Messia, ejusque le-*

ge dicta esse, ex ipso textu manifestum est. Et cap. 3. de eodem Messia sic ait: *Dominus iudex noster, Dominus legifex noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.* Demum in Evangelio Christus passim loquitur de sua lege: Joan. 14. *Mandata mea servate.* Joan. 10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.* Matth. 28. *Docete eos servare omnia quæcunque mandavi vobis.* Et Paulus 1. ad Corinth. 9. *Illis qui sine lege erant, factus sum tanquam sine lege essem, cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi.* Et ad Hebræos 2. confert inter se Christum & Moysen, tanquam duos legislatores, alterum veteris, alterum novi testamenti; & ait, si transgressores legis à Mose datæ puniti sunt, multo magis transgressores legis à Christo puniendos esse. Quapropter merito Tridentinum sess. 6. can. 21. sic pronunciat: *Si quis dixerit Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut Legislatorem cui obediant, anathema sit.* Quibus verbis Calvinii error manifestè proscribitur.

Probatur secundò conclusio: Ad providentiam Regis pertinet statuere leges, ad regni consecrationem, & Reipublicæ tranquillitatem necessarias vel utiles. Pertinet etiam ad providentiam Summi Pontificis leges ferre in iis quæ ad cultum Dei, & ad bonum Ecclesiæ spectant: Sed Christus fuit Rex Ecclesiæ & Summus Pontifex illius, ut in Tractatu de Incarnatione disp. 22. art. 3. & 4. ostendimus: Ergo fuit etiam Legislator, & debuit utroque nomine leges Ecclesiæ necessarias vel utiles statuere, per quas ad finem propositum, qui est salus æterna, promoveri possit. Porro sicut regia dignitas convenit Christo cum singulari excellentia, nulli alteri concessa, ut loco citato declarabimus, ita & potestas legislativa. Primò, quia fuit divina quodammodo, ratione suppositi divini, unde jus ab eo conditum, vocatur divinum simpliciter. Secundò, propter excellentiam legum & præceptorum, quæ, ut dicemus conclusione sequenti, triplicis generis sunt. Tertio, quia per talem potestatem legem veterem potuit abrogare. Demum, quia fuit amplissima in universum mundum: Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in celo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, &c.*

Contra istam conclusionem objici potest illud Joan. 1. *Lex per Moysen data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est,* quo significari videtur, Moysen fuisse Legislatorem, non verò Christum, ipsumque nullam tulisse legem, sed solum gratiam & justificationem nobis promeruisse.

Sed facile respondetur, non ideò gratiam dici per Christum factam, legem verò per Moysen datam, quod Christus nullam legem tulerit; sed quia Moyses dedit Judæis nudam legem sine gratia, id est legem præcipientem, sed non juvantem; Christus verò dedit nobis legem cum gratia, id est legem præcipientem & adjuvantem. Quam ob causam vocatur ab Apostolo *lex spiritalis*, & à Christo *jugum suave & onus leve*. Unde Augustinus serm. 22. de verbis Apostoli: *Hac sarcina (inquit) non est pondus onerati, sed ale volaturi: habent enim & aves pennarum suarum sarcinas, portant illas in terra, portantur ab illis in celo, &c.* Et Bernardus Epist. 341. ad Monachos B. Bertini: *Leve, ait, Salvatoris onus, quò crescit amplius, eo portabilius est. Nonne & aviculas levat, non onerat, pennarum, sive plumarum*

numero sita ipsa: tolle eas, & reliquum corpus fer-
 ur ad ima. Sic disciplinam Christi, sic suave ju-
 gum, sic onus leve quò deponimus, eò deprimi-
 mur ipsi, quia portat potius quam portatur.

10. Dico secundo, lex nova quæ à Christo data
 est, continet triplicia præcepta, nempe moralia,
 sacramentalia, & fidei.

Patet conclusio ex Scriptura: nam de præcep-
 tis moralibus Christus dixit Matth. 19. *Si vis
 ad vitam ingredi, serva mandata;* per quæ præ-
 cepta Decalogi, quæ propriè ad mores pertinent,
 juxta omnes Interpretes, intelligebat. Et Matth.
 9. divortium & libellum repudiî prohibuit, &
 statuit, ut vinculum matrimonii non amplius dis-
 solvatur. De sacramentalibus Joan. 3. Christus ait:
*Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu
 Sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Et Joan.
 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non
 habebitis vitam in vobis.* De præceptis verò fidei
 dicebat, Marci 16. *Qui crediderit & baptizatus
 fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, con-
 demnabitur.* Et Joan. 8. *Si non credideritis, quia
 ego sum, moriemini in peccato vestro.*

11. Notandum verò, hoc inter triplicia illa præ-
 cepta esse discrimen, quòd moralia, cum sint
 juris naturalis, non fuerunt à Christo instituta,
 sed tantùm explicata & vindicata ab erroribus,
 quibus ex hominum malitia fuerant involuta.
 Sacramentalia verò instituta sunt à Christo, ut
 essent loco veterum, quæ ab ipso abrogata sunt.
 Præcepta verò fidei de novo instituta non sunt,
 sed tantùm ex implicitis facta fuerunt magis cla-
 ra; ita ut nunc explicite mysteria quædam credere
 tenemur, quæ in lege veteri implicitè duntaxat
 credebantur: cujusmodi sunt natiuitas, passio, &
 mors Christi, quæ à Judæis obscure credebantur,
 sed expressè creduntur à Christianis.

ARTICVLVS II.

Quomodo lex nova differat à veteri?

12. **L**ex vetus & lex nova seu Evangelica in multis
 discrepant. Primò differunt in eo quod illa
 scripto tradita sit in tabulis lapideis ministerio
 Angelorum, ista per Spiritum sanctum hominum
 cordibus insculpta, juxta illud Apostoli 2. ad Co-
 rinth. 3. *Epistola estis Christi* (nimirum legem
 & doctrinam Evangelicam continens) *ministra-
 ta à nobis, scripta non arramento, sed Spiritu Dei
 vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis
 carnalibus.* Ubi Theophilactus: *Ex hoc loco
 Pauli, novi Testamenti infert præcellentiam.
 Lex, inquit, arramento scribebatur: Evangelium
 in nobis per Spiritum scriptum est. Quanto igitur
 intervallo, Spiritus ab arramento distat, & cor à
 lapide, tanto & novum à lege discrepat, &c.*

13. Dices primò, lex nova scripto fuit tradita, æquè
 ac vetus, eam enim Apostoli & Evangelistæ des-
 criperunt: Ergo non valet tale discrimen.

Respondeo ex D. Thoma quæst. 106. art. 1. le-
 gem novam duo continere. Primò & principaliter
 gratiam & charitatem diffusam in cordibus,
 quæ impellimur & juvamus ad bene operandum.
 Secundo, præcepta & regulas bene operandi; &
 quoad hoc secundum, legem novam scripto fuisse
 traditam, æquè ac veterem; sed quoad primum
 fuisse in cordibus fidelium diffusam & inscul-
 ptam, præcipuè in solemnî ejus promulgatione,
 facta in die Pentecostes: tanta enim fuit tunc da-
 ta gratiæ & charitatis abundantia, ut vi illius po-

A tuisset tota lex nova sine scripto conservari, ut
 rectè dicit Irenæus lib. 3. contra hæreses cap. 3.
 Addo quod lex nova non fuit per se primò scri-
 pta & ex professo sicut Mosaica, sed per occasio-
 nem scribendi vitam Christi, rogatu fidelium,
 vel docendi eosdem per Epistolas, aut occurrendi
 hæresibus Cherinthi, Ebionis, & aliorum deinceps
 contra Ecclesiam insurgentium. Neque fuit
 scripto mandata eodem die Pentecostes quo pro-
 mulgata est, sed multò post, octavo nimirum post
 mortem Christi anno, Petro & Paulo Romæ
 jam prædicanti, ut docent Irenæus lib. 3. cap. 1.
 Theophilactus præfatione in Matthæum, & Eu-
 sebius lib. 5. historiarum cap. 8.

B Dices secundo, etiam lex Mosaica fuit inscul-
 14. pta cordibus Judæorum, per illuminationem &
 gratiam Spiritus sancti, cum gratia non defuerit
 Judæis, ut possent intelligere & servare talem
 legem, multa supernaturalia præcipientem: jux-
 ta illud Deuteronomio 30. *Mandatum quod ego præ-
 cipio tibi hodie, non supra te est &c. sed juxta te est
 sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias
 illum:* Ergo hæc legis in mente consignatio, non
 est propria novo testamento.

C Respondeo quod quamvis gratia necessaria non
 defuerit Judæis ut possent servare legem Moysi,
 illa tamen non pertinuit ad legem Mosaicam, ne-
 que fuit data vi statûs illius, in quo nondum
 fuerat solum pretium redemptionis nostræ; sed
 pertinuit quodammodo ad legem novam; & ad
 Christum ejus auctorem, à quo emendicata fuit,
 & obtenta per ejus merita. Neque tanta fuit a-
 bundantia gratiæ concessa communiter illis tem-
 poribus, ut dici possit legem Mosaicam fuisse à
 Spiritu sancto mentibus hominum insculptam;
 sed hoc soli lege Evangelicæ convenit, quæ, ut
 diximus, in die Pentecostes, quo solemniter pro-
 mulgata est, magnâ & visibili effusione Spiritus
 sancti, in cordibus Apostolorum & Discipulo-
 rum consignata est; juxta illud Jeremiæ 31. *Dabo
 legem meam in visceribus eorum, & in cordibus
 eorum scribam eam.* Unde Augustinus de Spiritu
 & littera cap. 17. *Ibi in tabulis lapideis digitus
 Dei operatus est, hic in cordibus humanis. Ibi lex
 extrinsecus posita est, quæ iniusti terrentur; hic
 intrinsecus data est, quæ iustificarentur.*

E Secundo, lex vetus & nova differunt in eo quod
 15. lex nova habet vim justificandi, idque duplici ti-
 tulo. Primò quia habet præsentem Christum ejus
 auctorem & institutorem, qui potuit ex perfe-
 cta justitia mereri & Deo satisfacere pro homi-
 nibus. Ideoque ex vi sui statûs dat gratiam per a-
 liquid sibi proprium, & secum illam affert, velut
 animam legis: *Lex enim per Moysen data est,
 gratia & veritas per Iesum Christum facta est,*
 Joan. 1. Secundo, lex nova habet vim justifican-
 di, quia continet sacramenta, quæ habent vim
 causandi gratiam, & sunt veluti vas illam conti-
 nentia, ut suppono ex Tractatu de Sacramentis.
 Econtra lex Mosaica, cum nec ipsum gratiæ au-
 thorem haberet, nec contineret sacramenta ha-
 bentia vim causandi gratiam ex opere operato,
 vim justificandi non habebat ex propriis, sed per
 respectum ad statum legis gratiæ, & ad Christum
 ejus auctorem, cuius virtute & meritis gratia
 antiquis patribus in vacuum que lege fuit collata.
 Unde D. Thomas quæst. 107. art. 1. ad 2. & D.
 Augustinus pluribus locis affirmant illos qui in
 veteri Testamento fuerunt Deo accepti per fidem,
 secundum hoc ad novum testamentum perti-
 nuisse; non enim justificabantur, nisi per fidem
 D d d iij

Christi, qui est auctor novi testamenti, juxta illud Act. 15. *Per gratiam Domini Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi, Patres scilicet veteris testamenti.* Et illud 1. Corinth. *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus.*

16. Hinc intelliges, legem veterem rectè speculo comparari, quod maculas quidem ostendit, sed non auferit; legem verò novam aquæ, quæ non solum fordes valet ostendere, sed & abstergere; unde Ezech. 25. *Domini fidelibus novæ legis pollicetur: Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

17. Intelliges etiam, cur lex nova vivificare dicatur, & vetus occidere; quia nimirum prima largitur gratiam, quæ vera animi vita est; altera verò eam vi suâ largiri nequibat, & concupiscentiam prohibendo augebat, ut docet Augustinus de spiritu & littera cap. 4. *Doctrina* (inquit) *quæ mandatum accipimus, littera est occidens, nisi adsit vivificans Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala, concupiscentiam bonam, id est charitatem.*

18. Demum intelliges, quod quemadmodum in antiquum propitiatorium Exodi 15, vertunt vultus duo Cherubini, sic in Christum veluti magnum quoddam propitiatorium mundi, vertunt oculos duo populi, antiquus, qui Christi adventum præcessit, & Christianus, qui sequitur, cum eadem Christi gratiâ uterque populus salvus factus sit, & eodem agni immaculati sanguine redemptus. Unde Augustinus Epist. 157. ad Opratum; *Cum omnes iusti, id est veraces Dei cultores, sive ante Incarnationem, sive post Incarnationem Christi, nec viverent, nec vivant, nisi ex fide Incarnationis Christi, in quo est gratia plenitudo, profecto quod scriptum est Act. 4. Non esse aliud nomen sub celo in quo oporteat nos salvos fieri, ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur: quia sicut in regno mortis, nemo sine Adam; ita in regno vitæ, nemo sine Christo: sicut per Adam omnes iniusti, ita per Christum omnes iusti homines: sicut per Adam omnes mortales in pœna facti sunt filij seculi; ita per Christum omnes immortales in gratia sunt filij Dei.*

20. Tertio, lex vetus & nova differunt in eo quod vetus testamentum conditum est pro servis, novum pro filiis & hæredibus, ut declarat Apostolus ad Galat. 4. his verbis: *Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem. Quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta. Vnum quidem in monte Sina, in servitutem generans, quæ est Agar: Sina enim mons est Arabia, qui conjunctus est ei quæ nunc est Jerusalem, & servit cum filijs suis. Illa autem, quæ sursum est Jerusalem libera est, quæ est mater nostra. Et infra: Non sumus ancilla filii, sed libera. Unde ibidem Anselmus: *In utroque (inquit) testamento genuit Deus filios, qui sibi servirent, sed in veteri Judæos servos, qui timore pœne, & promissionibus temporalium, ei serviliter obedirent; in gratia verò novi testamenti, liberos, qui ex dilectione servirent.* Quibus verbis aliam utriusque legis differentiam indicat, quod nimirum testamentum vetus fuit timoris, novum est amoris: fuit enim illud servorum, quorum est timor,*

A juxta illud Malach. 1. *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus? hoc est filiorum, quorum est amor erga patrem.* Unde Chrysologus serm. 1. in Evangel. cum jejunatis: *Vbi Deus Dominum mutavit in patrem, voluit charitate magis quam potestate regnare. & amari maluit, quam timeri.* Et Augustinus lib. adversus Adimantum cap. 16. *Deus veteri homini fugienti, tanquam Dominus apposuit quod timeret, & novo redeunti, tanquam pater aperuit quod amaret.* Et cap. 17. ait, *quod hæc est brevissima & aperitissima differentia duorum testamentorum, timor & amor.* Unde quemadmodum timor prior est amore, sic testamentum vetus prius fuit testamentum novo; & sicut timor locum præparat charitati, cum autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum; ita testamentum vetus præparavit locum testamentum novo, quo adveniente, abrogatum fuit. *Sicut enim (inquit Augustinus) quando aliquid suitur, scia prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet, quia idem intravit ut introduceret charitatem.*

Ex his sequitur alia differentia, in veteri enim testamento, mysteria fidei, præsertim Trinitatis & Incarnationis, erant obscure & imperfectè cognita, in novo clarè & expressè sunt revelata. Quare hoc quia nimirum servi non tam perfectè sciunt consilia & secreta Patrisfamilias, quam filii. Hinc Christus Joan. 14. Discipulis dicebat: *jam non dico vos servos, quia servus quid faciat Dominus ejus.* Hanc differentiam indicavit Augustinus, cum dixit vetus testamentum esse occultationem novi, & novum esse revelationem veteris; & propter hoc Moysen cum loqueretur ad populum faciem velasse, Christum verò nobis revelatâ facie locutum esse, ut ait Apostolus 2. ad Corinth. 3.

Ex hoc intelliges, quod sicut hemispherium eò magis clarescit quò magis ei Sol appropinquat; ita status veteris legis, secundum majorè ad Christum & Evangelium propinquitatem, majorem cognitionis divinarum mysteriorum claritatem & illustrationem accepit; & ut loquitur D. Gregorius homil. 16. super Ezechiel. *Secundum incrementa temporum, crevit scientia Sanctorum Patrum, & quantum viciniore advenit Saluatoris fuerunt, tanto sacramenta salutis plenius perceperunt.* Unde David, quia propinquior Christo fuit, plenior de mysterio Incarnationis & Trinitatis, quam ceteri Patriarchæ & Prophetæ, qui ipsum præcesserunt, cognitionem accepit; propter quod Psal. 118. ait *super senes intellexi.* Item Joannes Baptista, quia Christo adhuc propinquior fuit, utpote quem digito monstravit, plenior Davide & ceteris Prophetis veteris testamenti, de eisdem mysteriis intelligentiam habuit: de quo propterea dixit Christus, ipsum esse Prophetam, & plusquam Prophetam, & inter natos mulierum, id est Prophetas, nullum majorem surrexisse.

Alia adhuc ex dictis colligitur inter vetus & novum testamentum differentia. Nam in veteri testamento promittebat Deus bona temporalia, in novo promittit æterna. In veteri dicebat Isaiâ 19. *Si audieritis me, bona terra comedetis;* in novo Christus ait Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum.* Hinc Augustinus in Psal. 73. *Deus (inquit) se utriusque testamenti voluit esse auctorem, ut & terrena promitteret in veteri, & cœlestia in novo.* Quia nimirum

Tract.
in Epist.
1. Joan.

21.

22.

runt alia est conditio fervorum, alia filiorum. Servi accipiunt temporalem mercedem à suis dominis, & sic dimittuntur; filii verò succedunt in perpetuam hereditatem. Hoc insinuat Paulus ad Galat. 4. cum ait: *Ejice ancillam, & filium ejus: non enim heres erit filius ancilla cum filio libera.* Et ad Hebræos 7. cum vocat testamenti novi meliorem spem, per quam proximamus ad Deum, quia scilicet cœlestia ac æterna sperat; cum è contra lex vetus terrena solum & temporalia expectaret. Unde Bernardus serm. 30. in Cantica: *Grave legis jugum, & vile primum, nam terra est promissionis.*

23. Ex hoc intelliges aliud discrimen, quod inter novum & vetus testamentum versatur; novum enim cœli fores aperit, quas vetus aperire non potuit, ut egregie declarat Apostolus ad Hebræos 9. his verbis: *In secundo tabernaculo semel in anno solus Pontifex introibat, non sine sanguine; hoc significante Spiritu Sancto, nondum propalatum esse Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum.* Hoc est: in Sancta Sanctorum, quæ templi pars erat intima, & ceteris præcellentior, solus Pontifex semel in anno introibat, ceteri sacerdotes eo ingressu prohibebantur: quâ oclusionem intimi adyti, & partis templi præcellentioris, adumbrabat Spiritus Sanctus, viam in cœlum fuisse oclusam, quando vetus testamentum ratum fuit. Novi autem testamenti author Christus, primus omnium cœlum penetravit, cœlestemque viam ac fores aperuit. Quam ob causam duodecim portas cœli patentes vidit Joannes Apocal. 21. *Porte, inquit, ejus non clauduntur. Ab oriente porta tres, & ab Aquilone porta tres, & ab Austro porta tres, & ab Occasu porta tres.* Versus omnes cœli plagas portæ patent, quia totius orbis habitatoribus patent, non veteris, sed novi beneficio testamenti.

24. Aliam ejusdem veritatis figuram habemus Numer. 15. ubi lex hujusmodi à Deo lata extat: *Exules & perfugi, ante mortem Pontificis, nullo modo in urbes suas reverti poterunt.* Per hoc enim significabat Spiritus Sanctus, quod ante mortem Christi, nemo cœlum ingredi poterat, nec in patriam cœlestem reverti, sed eo defuncto, & resurgente, ac in cœlum ascendente, cœli portam omnibus fore apertam, ac liberum in patriam cœlestem reditum. Unde Gregorius homil. 6. in Ezechiel. *Quid est, inquit, quod homicida post mortem Summi Pontificis absolutus, ad terram propriam redit, nisi quod humanum genus, quod peccando sibi mortem intulit, post mortem veri sacerdotis, id est Christi, peccatorum suorum vinculis solviatur, & in paradisi possessione reparatur?*

25. Denique omittis pluribus aliis inter veterem & novam legem differentis, hæc præcipua & veluti capitalis est, quod lex vetus fuit umbra & figura novæ, nova autem veteris perfectio & complementum. Unde Hieronymus lib. 1. adversus Pelagianos cap. 9. *In lege promittitur, in Evangelio impletur; ibi initia, hic perfectio est; in illa operum fundamenta jaciuntur, hic fidei & gratiæ culmen imponitur.* Et Bernard homil. 1. Super Missus est, docet quod sicut fructus tam seminis quam florum finis & complementum est; ita Christus finis fuit, perfectio, & complementum veteris le-

gis: *Videntur (inquit) mihi quoddam semen juisse divina cognitionis, tanquam è cœlo jactatum in terras, allocutiones & promissiones factæ ad Patres Abraham, Isaac, & Jacob. Floruit autem hoc semen in mirabilibus, quæ ostensa sunt in exitu Israël de Ægypto, in figuris & enigmatibus, per totum iter in deserto, usque ad terram promissionis, & deinceps in visionibus & vaticiniis prophetarum, in ordinatione quoque regni & sacerdotii usque ad Christum; Christus autem hujus seminis & horum florum, non immerito fructus esse intelligitur.* Aliâ similitudine utitur Chrysostomus

B (vel ut alii volunt Victor Antiochenus) exprensens illud quod habetur Marci 4. *Utro terra fructificat primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.* Subdit enim: *Primo herbam fructificat in lege natura, postmodum spicas in lege Moysi, postea plenum frumentum in Evangelio.*

Si autem quæras, quomodo lex nova implet veterem? Respondebo cum D. Thoma hic quaest. 107. art. 2. legem novam adimplere veterem, suppleto duo, quæ veteri legi deerant. In veteri lege (inquit) duo possunt considerari, scilicet finis & præcepta contenta in lege. Finis verò cujuslibet legis est ut homines efficiantur justii & virtuosii, unde & finis veteris legis erat justificatio hominum, quam quidem lex efficere non poterat, sed figurabat quibusdam ceremonialibus factis, & promittebat verbis; & quantum ad hoc lex nova implet veterem legem, justificando per virtutem passionis Christi. Et hoc est quod Apostolus dicit ad Roman. 8. *Quod impossibile erat legi, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleteretur in nobis.* Præcepta verò veteris legis adimplevit Christus & opere & doctrinâ. Opere quidem, quia circumcidi voluit, & alia observare, quæ erant tempore illo observanda, secundum illud ad Galat. 4. *Factum sub lege.* Suâ autem doctrinâ adimplevit præcepta legis tripliciter. Primo quidem, verum intellectum legis exprimendo, sicut patet in homicidio & adulterio, in quorum prohibitione Scribæ & Pharisei, non intelligebant nisi exteriorem actum prohibitum; unde Dominus legem adimplevit, ostendendo etiam interiores actus peccatorum cadere sub prohibitione. Secundo adimplevit Dominus præcepta legis, ordinando quomodo tutius observaretur quod lex vetus statuerat; sicut lex vetus statuerat, ut homo non pejeraret, & hoc tutius observatur, si omnino à juramento abstinereat, nisi in causa necessitatis. Tertiò, adimplevit Dominus præcepta legis, superaddendo quædam perfectionis consilia, ut patet Matth. 19. ubi dicente se observasse præcepta legis veteris, dicit: *Vnum tibi deest, si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, &c.*

Cætera quæ de lege nova docet S. Thomas, facilia sunt, magisque indigent lectione quam explicatione. Unde his prætermisissis, agendum nobis est tomo sequenti de alio exteriori humanorum actuum principio, scilicet gratiâ Dei, quæ est divinæ legis finis & complementum; nam ut ait Augustinus lib. de spiritu & littera: *Lex data est, ut gratia quareretur; gratia data est, ut lex adimpleretur.*

Finis Tomi tertij Clypei Theologia Thomistica.

Faint, mostly illegible text in the left column, appearing to be a continuation of the manuscript's content.

Faint, mostly illegible text in the right column, appearing to be a continuation of the manuscript's content.

Faint text at the bottom of the page, possibly a title or reference: "Faint text at the bottom of the page, possibly a title or reference."